




LUDOVICI
SERGARDII
ORATIONES DISSERTATIONES
PROLUSIONES EPISTOLÆ

ET CUM

CL. JOANNE
MABILLONIO
EPISTOLARUM COMMERCIUM

VOL. IIII.





L U C Æ MDCCLXXXIII.

Typis Francisci Bonsignorii
Utraque Permittente Poteſtate.

LIBRI IIII.

PARS PRIMA

ORATIONES, DISSERTATIONES,

ET

PROLUSIONES CONTINENS.



ORATIO
DE ELIGENDO
SUMMO PONTIFICE
POST OBITUM
INNOCENTII XI.
HABITA IN BASILICA VATICANA
CORAM
SACRO COLLEGIO.

QUamvis mihi ſemper, Patres Eminentiſſimi, veſter hic conſeſſus ſupra cæteros in univerſo Terrarum Orbe, tum Dignitate, tum cunctarum virtutum ſplendore Auguſtiſſimus fuerit, Regumque Senatum nulla verbi invidia appellare conſueverim; attamen hodierna die tantum in ore veſtro inſolitæ majeſtatis intueor, vultuſque, & habitus corporis, animique in fronte deſcripti adeo mortalium conditionem ſupergredi videntur; ut, ſi quem cauſa lateret, grande aliquid veſtris mentibus agitari, & vol-

volvi, facile poſſet exiſtimare. Et quidem magna, ſublimis, ardua res, & omnium, quæ humano conſilio adminiſtrari poſſunt, longe maximi, graviſſimique momenti coegit hæc Comitia celebranda, a quibus Eccleſiæ amplitudo, libertas, decor, totius denique Reipublicæ vota pendent, & ſalus.

Audacior profectò eſſem, ſi magnum opus aggreſſuros hortatore egere putarem, & officii veſtri mea vos admoneret oratio. Ipſi veſtra ſponte exarſiſtis ad tuendæ dignitatis cupiditatem, & amiſſi nuper optimi Principis, communiſque Parentis lugubre deſiderium ſatis teſtatur, vos ex omnibus renunciaturos, qui non parvam expectationem ſuſtineat implendi certa veſtigia; quique Sanctus, integer, & illi ipſi, a quo proximus eſt futurus, quam ſimillimus prodeat.

Vereor tamen, ne ancipiti deliberatione ſuſpenſi diu hæreatis, cui patrocinium Orbis Terrarum decernendum judicetis; Cætus enim hic veſter Summorum Virorum copia, Pietate, conſiliis, rerumque gerendarum ſcientia præſtantium, ſi unquam alias, adeo nunc abundat, & floret, ut unuſquiſque natus in commune bonum, & ad hanc ingentem obeundam provinciam apprime factus videatur.

Quoniam vero more, inſtitutoque Majorum factum eſt, ut antequam opus moveatis, hujus gerendi muneris momenta aliquis expendat; enitar pro meis viribus nonnulla coram proferre, quæ argumenti magnitudinem attingant; doleoque ſimul hanc mihi neceſſitatem impoſitam, ut cogar, aut graviora ſilentio præterire, aut veſtræ Virtuti eſſe injurioſus.

Ecquis

Ecquis profecto Sermoni meo non succenseat, si vos in Sanctissimis hisce suffragiis ineundis maxime cavere moneam a subducenda proprii commodi, vel incommodi ratione? Satis videt, compertumque habet unusquisque vestrum nihil fieri posse deterius, quam de Republica privatæ utilitatis calculis deliberare; adeo ut, etiam si quis cupiat recte judicare, hac tamen dulci, & latenti tabe correptus, putet rectum id esse, quod e re sua cognoscit.

Cerno jam nunc conspirantem animorum consensum, & in unam Sententiam pene conflatum, eum sibi constituere, quem Dominus Deus monstraverit de Numero Fratrum. Non enim vestra humana dicenda sunt, sed Divina Suffragia, & consilia hominibus communicata, quæ, Authori suo cognata, non possunt communibus malis non mederi, & Ecclesiæ salutarem opem afferre.

Præterea, adeo Vulgarem sortem, & aliorum Hominum modum excessit Dignitas vestra, ut in consortium Imperii adoptione Virtutis adsciti, dum vobis ipsis consulitis, Reipublicæ faveatis; & felicitas vestra alienæ felicitatis portio sit, & incrementum. Quare a Cætu vestro omni laude dignissimo tam longe abest hæc malorum hominum criminatio, ut in publica commoda peccare non velle, morum probitate cogamini; non posse, amplitudine Dignitatis.

At fingenti mihi, formantique Principem in tanta rerum perturbatione, lubricoque Statu, ea, Patres Eminentissimi, de pietate, ac solertia vestra opinio insidet, ut jamdiu vobis decretum putem, & mentibus singulorum alte defixum, illum præcipue tanto fastigio, &, ut ita dicam, Divini-

tati admovendum esse, qui in arduis definiendis certo pondere, maturoque gradu procedat; & in summa potestate summam quoque moderationem adhibeat. Agat videlicet magno animo, elatoque, & consiliis fidente, non sera illa, & indecora ex periculis facta prudentia. Differat, instet, minitetur; cumque in ea inciderit, a quibus dissentiri, periculosum sit Reipublicæ; assentiri, miserum Ecclesiæ, plurima arbitrio temporis conficienda permittat.

Ea nimirum acie mentis ornatus sit, iis ingenii viribus instructus, ut procul ab omni calliditate interdum imitata prudentiam, futura cogitatione prospiciat, quidque accidere possit in utramque partem, aliquanto ante constituat; ne ulla in ejus decretis litura appareat, neve subitæ res non cogitantem, ac imparatum possint opprimere.

Difficilis est ars regnandi in hoc maxime Principatu, in quo Sceptri, & Sacerdotii jura, humana, ac divina mutuo nexu fœderata conspirant. Religio, Pietatis altrix, Regum, ac populorum tutela, testis Divinitatis, Justitiæ, cæterarumque virtutum parens, quæ non modo a brutis animantibus secernit, sed cum Deo, & Cœlitibus ipsis mortalium societatem tuetur, omni cultu amplectenda est, studiisque excolenda: tantoque dignior est supremo Christianorum Principe, quanto ille propioribus finibus Superos attingit, &, exuto pene homine, dedidicit mortalitatem.

Non tamen Ecclesiæ, qua Regnum terrenum, & caducum est, ita oblivisci decet vicariam Numinis Potestatem, ut florentissima totius Italiæ Municipia duriorum temporum angustiis objecta esse videantur. Hæc enim Majestas Imperii, hæc de-

decora, hæc Templa propemodum Cælo æquata, hæc Urbs exterarum gentium votum, & Sanctitatis domicilium, terrenis incumbunt fundamentis: quæ si neglexeris, nuda Pietas sine Acerra, sine Infulis ad Aras sylvestres litabit; & ab animo imperitæ multitudinis, quæ rerum extima specie plerumque trahi solet, sensim, ac tacita defectione inops Religio dilabetur.

Quapropter nil deterius Regnantis famæ; Regnoque infelicius accidere solet, quam pingue Ærarium paratum quandoque peccantibus, quos vel invenit, vel facit. Contra vero nusquam melius, nec in tutiori arca deponitur Regius nummus, quam in collapsis populorum fortunis instaurandis; a quibus, si res, tempusque exigit, (quanquam in nundinis fœneratorum nullæ sint beneficiorum tabulæ) repeti potest animis Civium auctus, & amoris usura cumulatus. Sic splendidis rationibus quæstui habetur Respublica, & erogare in miseros aurum, specioso proventu reversurum, honesta est Principis avaritia. Timeant privati decoctiones, quæ, tanquam vitiorum comites, culpæ potius adscribuntur, quam fortunæ. Princeps decoctor numquam audit; ut qui Ærario utiliter exhausto gloriæ censum lucratur, ingens, & duraturum in posteros patrimonium; habetque cum Deo communem necessitatem, alios augendo non posse fieri minorem.

Verum difficillimis his temporibus illud credo, Patres Eminentissimi, opportunum judicabitis, ut Infulis Vaticani præ cæteris inauguretur, non tantum forensibus studiis, & domesticarum rerum usu perpolitus, sed qui maximis negotiis idoneus, aut gravissimis Ecclesiæ muneribus perfunctus,

multarum regionum mores calleat, & Aulas Principum non ignoret. Ut enim perquam utilia sunt minorum Magistratuum personam gerentibus tyrocinia Fori, & Curiæ exercitatio; ita, qui omnibus præesse debet, cœlestique nutu rebus humanis quasi fata decernere, par est, ut in aliqua christiani Orbis procuratione, ubi, tamquam in vera, & liberali schola, actio causæ maximæ non raro intervenit, tanto Imperio fuerit initiatus.

In hoc enim Regno, ubi Principes fiunt, non nascuntur, nec Imperii curas jure hæreditario delatas cum lacte Nutrix propinat, nisi moles negotiorum accesserit, quæ rudimenta Principatus edoceat, aut ignaros prudentia destituet, aut fracti vano plerumque terrore cogentur pretio damnorum pacisci miseram Ecclesiæ securitatem.

Factus igitur ad Imperium, pulcherrimeque instructus veniat; ut ingentium curarum capax, & animæ magnæ plenissimus reipsa possit ostendere solam virtutem supremo fastigio esse importandam. Ac primo memoriam veteris amicitiæ ne obliteret tamquam argumenta privatæ conditionis, & superbum Regnantis titulum Pastoris nomine mitigatum cedere Pietati, & clementiæ jubeat; jam amari, quam metui, regium magis putans. Quippe cum humana omnia se ipso minora videat, nulli periculo propior est fortuna Pontificis, quam mentis elationi.

Sit adiri facilis, impleat quandoque oculos Populorum, & vultu liberali amores alat cupidæ Civitatis; nullaque Majestatis injuria, e proximo vota mortalium, uti Deus, suscipiat. Etenim quoties imperviæ non sunt Principis aures, liceque miseris sine pudore fateri calamitatem suam;

illup

illud evenit, ut, beneficio accepto, danti gratiores sint, aut repulsam æquiore animo ferant; utrumque tamquam sui Numinis conscientiam.

Honores quoque, ac dignitates parata sint præclare gestis præmia; nec prostent adulatoribus, servo pecori, qui officiosis mendaciis Reipublicæ morbos contrectant, & plerumque gratiam mercaturi dedecus Principis negotiantur, computantque in reditu lachrymas Provinciarum.

Descendat ad oscula jacentis virtutis, educat e tenebris latitantem, ac profugam, & ingentibus donis cumulatam non sine invidia conspiciant, intabescantque quotquot more Scytharum inter malas artes literas habent. Ita nimirum confluent undique peregrinæ Nationes, semiruta theatra, statuas, arcus (Romanæ potentiæ nobile cadaver) admiraturæ; referent tamen Conjugibus, ac Liberis suis constantem opinionem, Romæ summas dignitates patere virtuti, non divitiarum, aut Generis commendationi, & in hac præsertim Aula solo nomine dissentire Meritum, & Fortunam.

Colligitis, opinor, Patres Eminentissimi, qua sapientia, quibus consiliis opus sit, ut eum designetis, qui non discedat de Tabernaculo Domini; velitque Pontifex non tam vocabulo esse, quam merito. Majores tamen causæ, gravioresque ad hoc munus Comitiorum sancte, & celeriter obeundum compellent, si præsentem Reipublicæ faciem (quamvis acerba sit recordatio malorum) vestris oculis subjicietis.

Ardet bello Europa, & fatalibus infortuniis misere involutam hostilis flamma depopulatur; inveterata jam, validaque opinione, integritatem, & amplitudinem unius nisi alterius ruina constare

 non

non posse. Nullum sexus, aut ætatis, cui bella parcant, discrimen. Omnia uno calamitatis jure continentur. Quid memorem civilibus odiis commissa Regna, laceratas Provincias, & Pietate transfuga, de statu, & Populorum securitate licentiæ militaris arbitrio decerni? Ipse etiam Christiani nominis vetus hostis, terra marique debilitatus, cum jam Pannonia, & tota fere Græcia depulsus, ægre apud Bosphorum reliquias fortunæ colligeret; in spem novam erectus, ob dolendum hoc Regnorum divortium, contumaci fronte minitatur; & toties victus, fugatusque bellum, non suo robore, sed nostris dissidiis, animosus instaurat.

Has, quæso, necessitates, hæc tempora, Patres Eminentissimi, pro vestra sapientia, & ardentibus in Religionem animis sedulo expendite. Reputate vobiscum, quam multis in locis ægra, seu potius exanimata langueat Ecclesia; & scitote hoc tempore magna expectatione suspensam, & de horum Comitiorum exitu sollicitam, a Vobis præsidia Canonum, virtutis patrocinium, morum tutelam, pacem, libertatem deprecari.

Jacet in Pulvere Virgo Filia Sion, passis crinibus, nudato pectore, saucia, exanguis. Vos intuetur, Vos vultu appellat, vestram quodammodo flens fidem implorat. Audite doloris liberam vocem. Cognoscite Reipublicæ vulnera, quæ licet cruda adhuc, & intractabilia videantur; tamen illis mederi Optimi Principis beneficio, & agere curam speciosæ cicatricis, vestri consilii est, vestræ prudentiæ. Dum potestis, dum licet, nolite, Patres, committere, ut Domini Sponsa, quam formosam, ornatamque a Majoribus vestris accepistis,

pistis, partem aliquam Dignitatis, ac decoris amittat.

Verum non ea sunt ingenia vestra, ut recta consilia assumant ex necessitate, & ad ea, quæ decent, terroribus, ac denunciationibus adigantur. Quamvis pacata omnia, ac tranquilla forent, & secura pace frueretur Ecclesia; satis apud vos publica utilitas, honesti species, &, quæ validior est apud optimum quemque, secreta censura conscientiæ peroraret.

ORATIO
IN OBITU
ALEXANDRI VIII.
P. O. M.

NEscio, quo fato (PP. EE.) factum sit, ut qui nuper coram hoc Augustissimo Senatu de Optimi, Sanctissimique Pontificis inauguratione fausto successu peroraveram, nunc de obitu ejusdem acerbissimo, linguæ officium usurpantibus oculis, neque communis tantum, sed privatæ etiam pietatis titulo commotus, iterum verba facere compellar. Duram sane Provinciam supremo jussu aggredior. Vultus enim vestri recenti pallore conspersi, atra vestis socia feralis Justii, & index animi vulnerati mœror, quem in Parentis amantissimi locum superstitem fecistis, nullam mihi hodierna die ad dicendum alacritatem inspirant, & ad

& ad aspectum lamentabilis funeris ipso in ore trepida verba, sibique male consonantia, hærent, ac plane frigescunt.

Et quidem, cujus non immensus quidam, ac insanabilis dolor pectus exulceret, qui videat spem tantam Christiani nominis, in quantam nullo unquam tempore Christiana Respublica fuerat excitata, quasi turbine venti difflatam in nihilum evanuisse? Non est meum honesto, ac misericordi mendacio publicum vulnus contrectare, tristitiamque rei lenitate verbi mitigare. Amisimus, PP. AA., eum Pontificem, qui diuturno rerum gerendarum usu peritissimus, prudentia, consilio, cæterarumque virtutum ornamento auctus, non sine peculiari miserantis Dei beneficio supremo Solio videbatur admotus, ut fatiscentem tot calamitatibus Europam, & malorum contagio afflatam Italiam præsenti, & opportuno remedio sublevaret. Amisimus Principem, qui comitate verborum, morum humanitate, clementia, beneficiis, effusaque in populos charitate, inaudito fœdere res antea inimicas sociaverat Principatum, ac libertatem. Eccui non licuit etiam de ima Plebe usque ad penetralia deducto satiari vultu supra sortem humanam posito, supplices adhibere voces, præsens Numen orare, a communi Parente exaudiri?

Premebatur duriori annona Romanus Populus, auctis difficultate superiorum temporum vectigalibus, quodque in levamen pauperum provido consilio fuerat excogitatum, augebat inopiam. Neglecta passim Cereris opera, glebæ raro vomere excultæ, viduata colonis jugera caritatem florentissimæ Urbi, nullo Cæli vitio, minitabantur. At vix rerum summa potito Alexandro tempus, quod

quod in excipiendis adulantium officiis cæteris in Principatu adſcitis humana concedit ambitio, placuit curæ, ac laboribus impendere, nullaque ærarii habita ratione, neglectiſque proventibus, Civium tantum honeſtati, populorumque fortunis proſpexit. Ita dierum ſpatio reſtituta agro Romano fertilitate, Urbi alimentis, facili, ac parabili municipiis copia, re ipſa docuit a ſubditorum commodo Imperium auſpicari, nullamque eſſe uberiorem annonam amore Principis.

Verum parum fuerat frumenta, & pacis munera in Urbem importaſſe, ſi, graſſantibus per compita ſceleſtis hominibus, bonis adeo fructibus uti minus licuiſſet. Enimvero neſcio, qua ſæva, crudelique erynni percitæ mentes ferebantur in mutuas cædes, & perdocta certis ictibus manus homicidia, velut genus artis, paſſim exercebat. Non tulit hæc facinora mitiſſimi Principis animus, novoque pœnæ genere, & Reipublicæ ſalutari ipſa necis inſtrumenta vapularunt. Quid proderat ſontes plecti, ſi nocendi occaſio viguiſſet? Sic exarmata ferientium ira, reos etiam, qui poſt ſæcula venient, abſque carnifice amantiſſime coercuit, felicemque impoſuit neceſſitatem amplius non peccandi.

Sed hæc, quæ cæteris ad commendationem ampliſſima forent, in Alexand. VIII. minima cenſentur, Neque hoc loco inſtituti mei eſt exactam per omnia Reipublicæ munia ſumma cum laude ætatem, & per honorum gradus ſenſim ad culmen Pontificatus admotum Heroem in conſpectum dare. Satis per ſe nota, & in oculis omnium ſunt præclare ab ipſo geſta, illiſque recenſendis impar omnis, ne dicam invidam, foret Oratio.

Ortus

Ortus videlicet ea in Urbe, in qua regnandi jura cognata sunt, dulci libertatis usura ita indolem exercuit, ut, priusquam imperaret, imperio factus videretur. Hinc suffragio virtutum Regno propius admotus, nec auræ rumoribus, nec fortunæ illecebris, nec splendore nominis delinitus, eo cæteris major apparuit, quo melior. Splendidus nimirum orbis totius procurator, qua opibus, qua consilio, qua commeatu, copiisque communem causam præsens ubique operosa senectute constantissime suscepit. Pecunia Cæsari, Venetis legione ad sacram expeditionem suppeditata, auro, ferroque immanissimum Christiani nominis hostem in servitutem asserere enixus, etiam propriæ salutis discrimine, pietatis jaculo contra Barbaros militavit. Nec porro minori studio, mentisque indefessæ laboribus, grassante lue vicinas Provincias, a sinu vestro, a vestris penatibus propulsavit perniciem, prius domito fatali monstro, quam adventaret.

Quid memorem Sacrorum solemnia crebro, &, plusquam per ætatem licuisset, frequentata? Assiduo vultu lustrata per Urbem Templa? Viros sanctimonia vitæ illustres Divorum albo conscriptos? Jamdiu palam, & in confesso erat, æqua lance in illa nitidissima mente sibi curas divisisse Sacerdotium, & Imperium.

Demum, instantibus fatis, frangi animo, ac debilitari, morbo ingravescente, nequaquam passus, supra vires assurgens, totumque hominem exutus, tamquam regalia flumina, quæ in exitu suo plenius, & coacervata aquarum mole in Oceanum feruntur, Supremæ Ecclesiæ authoritati, inconcussis, nulloque unquam tempore labefactandis Romanæ Cathedræ juribus tam provide, firmiterque con-

consuluit, ut incertum reliquerit Posteritati monumentum, vivens ne, an moriens fuerit magis de Christiana Republica benemeritus.

At vos, Sanctissimi Cineres, Animæ Magnæ, dum in Terris degeret, sarcina, & onus, nunc Urbis desiderio, nostrisque lacrymis mœstum, ac lugubre solatium, vos saltem ne dedignemini novissimos tumuli honores, quibus vidua Ecclesia tanto nomini justa persolvit. Siquidem, qui vos induerat, Heros ex his tenebris, ex hac fluxa rerum humanarum conditione, ex infestis hisce virtuti temporibus corpore solutus discessit, seque in ævi melioris lucem vindicavit. Nobis vero non leve consolationis genus reliquit, si meminisse velimus, Eum, cujus jacturam lugemus, jam senio confectum, consumptisque virtute incrementis gloriæ, potuisse addere communi bono multum, vitæ parum, gloriæ nihil.

O R A T I O

I N L A U D E M

S. I V O N I S

Habita Romæ in Ecclesia S. Caroli ad Catenarios.

IVoni Sanctissimo viro, Eminentissime Princeps, amplissimi Romanæ Curiæ Judices, Auditores ornatissimi, soluturus annuæ laudationis officium, tam multis cum Justitiæ, tum religiosæ disciplinæ argumentis perstringor; ut nullus color, nulla sit

dicendi

dicendi facultas, quæ avara tantarum laudum, aut invidiosa non videatur. Etenim si pia recordatione austerum vitæ genus inspicio, quo ab omni deliciarum contactu pudicus abhorruit, fervet animus hoc, qualecumque sit, ingenium meum exercere in probatæ virtutis encomium: Si vero teneram Ivonis miserationem intueor, qua ab insonti, egenoque capite injurias propulsavit, illius amorem decerno non fucatis stili lineamentis adumbrare. Haud tamen diutius ferar impos consilii; in neutram partem pronus utramque miscebo, adeout Ivonem & sui hostem, & alieno commodo natum, mitem in pauperes Judicem, erga suos affectus severum vobis hodierna die proponam. Accipite igitur in uno Ivone gemini Judicis ideam, cujus munus alterum in abdito cordis foro pene crudelis, alterum in hoc orbis Theatro pene amans implevit.

Superba Stoicorum sapientia splendide visa est desipere, cum e mortalium anima motus omnes delevit, vetuitque homines aut injuriis irasci, aut formidare periculum, aut amissi boni memoriæ tristi lacrymarum solatio parentare. Ambitiosus error, qui nobis adimere voluit infelix peccandi privilegium, & quasi nactos cognatam Divinitati naturam necessariæ virtuti damnare! Nos vero non adeo juvet forti nostræ adulari hujusce Philosophiæ præceptis: quisquis vitiorum patrimonium adivit; quod degener parens nepotibus reliquit, arctum habet cum corpore commercium; & rebelles experiri animi motus infirmitatis lex est, ferrique impetu non suo hæreditaria calamitas. Quod cum ita sit, Auditores, qua admiratione prosequendum

dum putabitis Ivonem, dum sui juris affectus disciplina perdomuit, coegitque hosce domesticos rationis hostes temperantiæ legem accipere? In secreto scilicet suæ mentis recessu familiare tribunal aperuit, ubi severus Judex reas esse animi perturbationes, vel inaudita causa, pronunciavit. Quippe Pudicitiæ candori metuens, quæ impuro cujusvis auræ halitu afflatur, laudabili rusticitate sibi interdixit lubricam amicorum consuetudinem, productisque jejuniis plurium dierum curriculo non modo blandam voluptatis perniciem, sed voluptatis suspicionem castigavit. Quod si humani corporis imbecillitas tandem fulcimenta exigebat, quasi peccasset natura, quod a Dei consortio Ivonis mentem dirimebat, didicit illam ingeniose crudelis dapibus fame pejoribus, & somno vigiliis duriore identidem macerare. Audeat nunc gulæ libido, quæ Provinciarum spoliis regales mensas adornat, soletque non raro fastidiosi ventris desidiam pretio excitare, audeat, inquam, Trecorensi Heroi dapes apponere, quas peregrina saporum mixtura sobrietatis rubore condivit. Audeat fortunæ jubar, & gentilitiæ originis ambitio dimidiis avorum imaginibus natalium seriem altius derivare, ut splendida larva, decorisque mendaciis Ivonis humilitati imponatur. Cernere erat, Auditores, frugi Ivonem plebeiis ferculis indulgere; cernere erat illustri sanguine prognatum sub dio difficiles somnos captantem, aut aspero strato, tabulisque contextis recubantem, ubi in pœnam immeriti corporis ipse sopor vigilabat. Noverat eximiæ Sanctitatis vir, quam callide sese animo insinuet subdola voluptatis Siren, quantoque impetu rationis moderamina negligat, ubi semel

cepit

cepit in cordis tribunal irrepere, tacitisque lenociniis mentis constanciam enervare. Quamobrem ad illius fores, tamquam apparitores, Virtutes omnes disposuerat; jusserat aditus sollicita custodia precludere, laborare, ne cæca voluntas ad flexanimam sensuum facundiam labaret, propriumque malum boni colore personatum deperiret. At quem non paternæ domus illecebræ, fortisque conniventis blandimenta oppugnarunt, iræ impetus vicit. Intuimini, si vacat, Auditores, Ivonem. Ut inter cædes, & arma ferociter exultat! Ut insolentem militum manum e Templi limine repellit. Pro Telis audacia, pro umbone temeritas; neque pari discrimine ad pugnam componitur, sed ultro largus animæ ipsa lacessit pericula. Fallimur. Ivonis animum non occupavit indignatio, stultusve motus rectæ mentis habenas contempsit; quod erat divini juris, haudquaquam passus est ab urbanis grassatoribus diripi; neque ira inter pravos affectus numeranda, cum illa sit virtutis calcar, quo erepto, inermis animus torpet, nec unquam audet ad ingenuæ originis decora provocare.

Agite modo, Auditores, &, quandoquidem Ivonem in domestico mentis foro severum Judicem admirati estis, illius pietatem luce palam liceat intueri. Nec mirum videbitur, qui ubere charitatis lactatus cum miseratione adolevit, si justitia, velut regia veste, induitur, Deique causam facundus patrocinatur. Equidem cum præstantissimus vir in Judicem communi populorum suffragio eligebatur, sic illum reor alloquutam fuisse Pietatem: Ascendis Ivo tribunal, vindicis Dei locum ascendis; vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt. Lacrymas, quas divitum

vitum

vitum superba avaritia miserorum oculis elicuit, tuum est detergere. Tibi non modo Judicis æquitas servanda est, sed veluti Deus, Patris etiam benignitas, amorque demonstrandus. Justitia misereatur, misericordia judicet. Stude veritati, ne illius inscitia fiat innocentis pœna. Non minus Judici turpia sunt multa supplicia, quam Medico multa funera. Clementia non est fatigatus rigor. Cave denique, ne sententiam vendas: solum Justitiæ pretium est, recte judicasse. Hactenus pietas Ivonis cordi peroravit; hinc ille Themidis lances suscepit æquali momento libratas; hinc ad illius tribunal ex pagis, ex oppidis, ex universa Gallia miserorum concursus; hinc pupillos fortunæ ludibrio expositos, situ longaque inedia marcentes viduas, reos conclamatæ sortis, nullum præter Ivonem adire, circumstare, exorare. Exorare? Erravi, Auditores. Ipse ultro beneficii prodigus quærebat, in quos conferret sua munera; egenos mendicabat, nec rogari patiebatur, cum nulla res charius constet, quam quæ precibus emitur: tantum aberat, quo minus squallore clientum saginaretur, & infinito, ac veluti religioso quodam ordine causarum seriem produceret, exitumque mille ambagium labyrintho implicaret. Occurrebat pauper obæratus, quem rationum vis molestiis liberare nequibat, luebat mitissimus Ivo de suis bonis alieni infortunii pœnas, novoque genere contractus Charitas debitorem faciebat Judicem, reum creditorem. Sciebat enim honesta usura laudabilis fœnerator divitias apud se depositas, tamquam pauperum Patrimonium; & ubi auro Cœlum mercatur, gloriosum esse tam speciosa jactura decoquere. Cogebatur interdum per-

duelles, homicidas noviſſimo damnare mortis piaculo, ſed quæ faciebat invitus vulnera, lachrymarum panacea delinibat, pœnamque prius ipſi carnifex Amor, quam reo ignavus terror infligebat. Neronem Romani Diadematis illuſtre probrum, cum nondum ferociæ guſtu naturam amiſerat, ferunt optaſſe litteras ignorare, ne ferali atramento in ſontes Capitale ſupplicium exararet. Reclamat annalium fides tot facinoribus polluta, nec ſinit fama ab impio Cæſare hanc laudem uſurpari. Quanto verius in Ivonem cadit hoc ſingulare pietatis argumentum, qui votum ſanguinis nonniſi lachrymis tulit, tactuſque quadam cognatione animorum dolorem in aliis vidiſſe ſat erat, ut doleret. Verum non tantum inter faſces, ſellamque curulem ſeſe cohibere potuit Ivonis amor; paternæ domus limine aſylum aperuit, ubi fames, egeſtas, ærumnæ, omneſque miſeriæ humanitatis perdiſſæque confluebant rediture aut nullæ, aut Ivonis ope felices. Putares optabile malum febre torqueri, aut exedi purulento ulceris morſu, dum contingerat mederi ſanctiſſimi viri manibus, meritoque dolere poterat ægrotus, ſi cito morbus e corpore diſceſſerat. Tanti erat amabile pharmacum, ut odioſam redderet valetudinem! Sed quid ego levibus hiſce pietatis monumentis diutius hæreo? Ivonis charitas eo tandem ardoris devenit, ut Cœlum ipſum tangere beatis ignibus potuerit, Deumque ad ſuos amplexus ſollicitare. Accumbebat menſæ Sanctiſſimus vir; cum ecce tibi jam non homo, ſed umbra hominis, ſeu viventis imitatio, lacera veſte pannoſus, macie confectus, luridus, exanguis, diceres vivum cadaver, quippe in illo ſola corporis trepidatio, & membrorum cre-

crebra succussio, erat vitæ infelix testimonium. Gavisus est Ivo pauperis adventu, effususque in oscula continuo, quibus famem expleret, dapes larga manu porrexit. Mirum! Cæpit paulatim hospes plusquam mortalis videri, & augustissima fronte renidens, blandoque risu Ivonem salvere jubens, se Deum testatus nusquam apparuit. O te felicem Ivonem, qui in pauperis sordibus Cœli divitias amplexatus es, Deumque convivam triclinio excepisti! Quis neget tuos lares esse Cœli diversorium, dum illos, subire non dedignatur peregrina Numinis majestas, gaudetque tui amoris pocula vel ipso nectari præposuisse.

Jamque Auditores modo inter Charitatis officia, modo inter Christianæ disciplinæ rigorem contemplati estis Ivonem duplicis fori Judicem, in Curia misericordem, in animo severum; in utroque tamquam præstantissimæ virtutis exemplar approbastis. Rei operosa illius facundia absoluti, affectus rationis imperio subacti gemini Judicis munia implevisse satis superque demonstrarunt. Vos interim Romanæ Curiæ PP. amplissimi, in quorum ore nativæ quamdam dignitatis tesseram intueor, quorum animo sacris coloribus eminet expressum Ivonis, hoc est, Justitiæ simulacrum, date veniam rudi, novoque Oratori, si quid minus facunde egi in Trecorensis Herois causa; siquidem ego supervacuum duxi vobis decora illarum virtutum recensere, quarum singuli non modo imaginem habetis, sed vivum Archetypum.

ORAZIONE
RECITATA IN CAMPIDOGLIO
PER L'ACCADEMIA
DELLE ARTI LIBERALI.

MAlagevole uffizio, e poco adattato *al mio* debol talento intraprendo oggi (Eminentiſſimi Principi) nel favellare a così ſcelta Adunanza, e d'elevati, e pellegrini ingegni ripiena, ſopra l'Eccellenza delle Arti, che queſta illuſtre Accademia compongono: poichè perſuaſi altra volta gli animi voſtri dalla facondia di ſaggio, e d'erudito Dicitore, quanto elle ſiano neceſſarie (1), non che utili alla civile Repubblica, e degne altresì dell'amore, e della munificenza de' gran Signori, e Principi, non mi reſta argomento, nè materia da poter luſingare, o paſcere il voſtro ſublime intendimento. Oltre a che queſto nobiliſſimo Conſeſſo, queſti inſoliti apparati di gioja, e queſte mura, che ad onta de' ſecoli andati dell'antica Latina Maeſtà grand'aria ancora ritengono, pare, che le mie voci di ſoverchia fidanza in un certo modo riprendano; talche di buo-

(1) Argomento del diſcorſo dell'anno paſſato.

buona voglia abbandonato ad altri avrei l'impresa, se l'alto, supremo, e venerato comando di chi regna non m' avesse obbligato a favellare. Duro comando, (mi sia lecito il dirlo) che in un tempo medesimo mi costringe a parlare, e insieme a tacere. È come parlar deggio di così lodevoli studj, e tacere la mano benefica, che li promuove? Dovrò io dunque dire della Luce, che veste de' suoi raggi questo basso emisfero, e passare sotto ingiurioso silenzio quel Pianeta, che n'è l'origine, ed il puro lucidissimo fonte?

Io per me (perdonatemi Santissimo Padre) non averei saputo eleggere nè più degno soggetto, nè più largo campo al mio discorso, che il vostro bel genio verso le Arti Liberali, da cui nella presente etade ogni più rara disciplina il ristoro riceve, il nutrimento, e la vita. E qual, se lecito mi fosse, atta materia al ragionare non mi avria somministrato la sublime idea (1) delle Sagre statue, e la scelta degl' industriosi scarpelli, che i due gran Tempj ornar deono, e di nuovi Trofei di nostra Fede arricchire? Che detto non avrei di quel fra gli altri eletto immortal Pennello (2), che cancellando là su le pareti Vaticane le ingiurie del tempo, senza togliere alcun pregio all'antichità, le gloriose memorie dell'Apelle d'Urbino (3) a nuovo giorno richiama?

 Quan-

(1) Le sagre Statue, che deono adornare la Chiesa Lateranense, e la Basilica Vaticana, e quelle già quasi perfezionate per collocarsi sopra i Portici Laterali della Piazza di S. Pietro.

(2) Carlo Maratti Pittore celebratissimo.

(3) Raffaello d'Urbino, le di cui Pitture nelle stanze Pontificie del Vaticano si restituiscono al primiero splendore.

Quanto volentieri fiſſo mi ſarei a vagheggiare gli Archi, e i Ponti (1), ch' emulando la potenza de' Ceſari conducono ſoſpeſe per lungo, e faticoſo ſentiero le dolci acque ſalubri ad arricchire le vicine ſpiagge del Tirreno; oppure la ſtruttura (2) del novello Edifizio, che per freno de' licenzioſi giovanili errori, ſul diſegno del voſtro Paterno amore, per opera di celebre Architetto (3) alla perfezione ſi conduce? Ma poichè le ammirabili ſovrumane virtù, che d' intorno vi cingono, ſono cotanto di voi geloſe, e guardinghe, che per timore dell'adulazione vi fanno la ſteſſa vera lode avere a ſchivo, nè più il grato ſuono di eſſa può giungere a' voſtri orecchi, tacendo ciò, di che agevolmente potrei farmi ragione, ſtudierò ſolo di moſtrare a chi m' ode, quanto la cura, e la tutela delle Arti, che Liberali ſi nomano, degna ſia, e propria del Pontefice Romano.

Nè vi crediate, (virtuoſi Accademici), che in pruova del mio aſſunto con lunga ſerie ad annoverarvi m'accinga gli eſempli degli ottimi, e maſſimi Pontefici, che nel paſſato, e ne' più remoti ſecoli queſte divine facoltadi ebbero in tal grado d' amore, e di ſtima, che ben feron conoſcere, eſſer quelle la parte migliore de' vaſti loro penſieri. Parlano abbaſtanza per me le Statue, le Colonne, gli Obeliſchi, le tante inſigni Pit-

(1) L' Acquidotto di Civita-Vecchia; che ha di lunghezza ventitre miglia.

(2) La nuova Fabbrica aggiunta all' Oſpizio di S. Michele a Ripa col nome di *Domus probationis*.

(3) Il Cavaliere Carlo Fontana inſigne Architetto.

Pitture, e le altre opere egregie, che fanno agli occhi noſtri non meno, che alle remote ſtraniere genti, viva, e perpetua teſtimonianza, quanto i Leoni, i Giulj, i Siſti, gli Urbani, e gli Aleſſandri così fatti ſtudj ingrandiſſero, e degni li riputaſſero di meſcolarli tra gli alti affari del pubblico univerſal governo. Nè ſenza gran ragione; imperocchè s' egli è vero, come negar non ſi può, che le Arti Liberali (1) dalla ſola virtù ſortiſſero il nome, a qual più franca mano il patrocinio di eſſe convienſi, che a quella dell' Eccleſiaſtico, che (2) per divino iſtituto eſſer dee il compoſto, e l'eſemplare di ogni perfezione, e virtù? Volgete curioſo lo ſguardo (3) agli antichi abiti Sacerdotali, a i Lembi, e alle Fimbre di quelle ſagre Veſtimenta, e a' Drappi (4) di geroglifici, e d' iſtorie inteſſuti; e direte, che ancora nelle forme eſteriori era il ſommo Sacerdote un vivo modello, e un compendio animato di queſti medeſimi ſtudj, di cui ora favelliamo. Ma che ſtò io a mendicare da lungi in sì fatto argomento le prove, quando nel principio de' Secoli l' Autore ſteſſo della Natura chiaro, ed ammirabile eſempio a noi dare ne volle allora, che (5) ſopra la Baſe del nulla architettò la immenſa Fabbrica delle sfere celeſti, e della

(1) Gli Etimologiſti derivano la voce Arte ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, cioè a virtute.
(2) S. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 8.
(3) Num cap. 15. Concil. Nicæn. General. act. 4.
(4) Sapien. cap. 18.
(5) Gen. 1.

terra, formò il primo ſimulacro nella creazione dell' uomo, e dipinſe di vaghiſſimi colori oltramarini la ſuperficie del ſuolo, non ſenza il chiaro ſcuro della luce, e delle tenebre? Artefice veramente Divino, che raccogliendo in una ſola parola i precetti, e le proporzioni tutte dell'arte, eſponeſte all' occhio de' mortali il più perfetto modello, di cui l' umano ingegno ammaeſtrare ſi poteſſe. Nè pago di ciò, per iſcampare dalle acque vendicatrici la tralignante proſapia d' Adamo, voi (1) porgeſte a Noè le miſure dell' Arca miſterioſa, e voi additaſte (2) a i due Sacerdoti del vecchio Teſtamento, di qual maniera dovevano effigiarſi gli acceſi ardenti volti de i Serafini ſovra il Palladio non favoloſo della Giudea. Taccia, chi per illuſtrare di tali ſtudj l' origine, Zeuſi, Apelle, e Polignato, e Praſſitele, e Fidia rammemorare importuno preſume. Son queſti un debol ſuono di mendica, e povera fama; nomi, che reſtano abbagliati, ed in perpetua obblivione ſepolti al comparire del primiero ſuo verace Autore. E per vero dire, chi ben conſidera, quanto (3) i ſegni eſteriori ſiano valevoli, ed efficaci mezzi ad eccitare ſino nel più cupo de' noſtri petti l' amore verſo il primo Eterno Bene, di cui portano, benchè lontana, ed imperfetta la immagine, non ſi recherà a ſtupore, che la Sapienza Divina ne abbia laſciato a noi, nelle opere di ſua poſſente mano, tanto viſibili docu-

(1) Gen. 6.
(2) Exod. 21.
(3) S. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 12. & ſeqq.

documenti. Fu ſentimento de' Platonici (1), che le noſtre anime prima di ſcendere, ſecondo l'ordine dei Fati, ad informare i Corpi umani, ſi tratteneſſero ſovra le sfere a vagheggiare innamorate i raggi della immortale bellezza. Coſtrette poſcia a veſtire il frale di queſta maſſa terrena, e portando impreſſi, e ſigillati nella materia di quell'amico lume i rifleſſi, qualora s'incontravano negli oggetti, che di sì alto carattere ſegnati fóſſero, quaſi riſcoſſe da profondo letargo, ratte ſi rivolgevano a contemplare in eſſi delle divine uſate forme i veſtigj. Stolta Filoſofia, cui non giunſe a riſchiarare co' ſuoi lampi il Vangelico Sole. Egli è ben vero, e per poco non diſſi, a ciaſcun noto, e conto, che quella parte di noi, che libera, e ragionevole ſi chiama, e che più alle divine fattezze ci aſſomiglia, e pareggia, nulla coſa ha in balìa d'operare ſenza il miniſtero de' ſenſi, da i quali e la memoria, e la intelligenza, e la volontà ricevendo le ſpecie per gli Organi corporei tramandate, s'eccitano le tre nobili potenze, e ciaſcuna al proprio uffizio ſi determina, e volge. Ora avvenga che queſti ſenſi di materia ſiano compoſti, qual'è la gracile terrena ſpoglia, fa d'uopo, che dagli oggetti ſenſibili, ed eſterni ſi muovano, onde per eſſi tocca, e percoſſa l'anima noſtra dal ſonno ſi dislega, e ſvegliata all'atto dell'operare torna alle coſe vere, che di lei ſon fuori. Queſti oggetti, che io diceva, non ſaprei per avventura ravviſarli nè più abili, nè più for-

(1) Plat. nel Fedr., e da lui Marſ. Ficinio, e gli altri Platonici.

forti a muovere dentro di noi, che ne i lavori delle arti liberali, le quali esprimendo al vivo le cose della Natura, e del Creatore, porgono, quasi di sì, al nostro intendimento la mano, e lo sollevano, e lo infiammano per avvicinarlo alla sorgente, da cui essi derivano, ed alla giusta idea, donde furono tratti. E chi mai potrebbe concepire col pensiero quella eterna Città di quadrata figura, con le pareti d'oro, e le porte di margarite, quella Celeste, dico, beata Gerusalemme, che rapì le pupille del grande Abitatore di Patmos (1), se l'Architettonica non ne avesse mostrate le misure, e le proporzioni? Chi le invisibili forme de' puri Angelici Spiriti, e le Alme scariche del terreno velo con la mente raccogliere potrebbe (2), se la pittura in tante, e sì belle guise ritratte non ne porgesse ai nostri sguardi le somiglianze? Sono, non vi ha dubbio, le scritture, e i volumi, e le voci medesime possenti a riscaldare l'umano desio, e indirizzarlo là, dove si stende l'erto sentiero della virtù. Ma chi non pruova, che cosa intesa tosto dalla memoria si dilegua, e cancella? E chi non sà, che (3) l'ignorante Vulgo, parte maggiore degli Uomini, malamente le voci, e nulla i caratteri, da cui quelle s'esprimono, giammai non conobbe, ed apprese? Laddove le Immagi-

(1) Apocalypf. cap. 21.

(2) S. Joann Damasc. de Imag. Orat. I. Synod. VII. Oe um. act. 2.

(3) S. Joann Damasc. lib. 4. cap. 17 S. Basil. in homil. 40. Mart. S. Greg. M. lib. 9. Epist. 9. Conc. 8. Gener. Constant. can. 3.

gini, e i Simulacri (1) parlano con linguaggio da tutti inteſo, e ciò, che in loro favella ci rappreſentano, nè (2) per difetto di memoria, nè per variar di ſtagioni vien meno; poichè ſempre preſenti, e durevoli ragionano del continuo alla noſtra fantaſia, e ſe ſteſſi nell'anima noſtra vivacemente dipingono. Nè ad altro fine, credo io, che (3) più antico de' caratteri foſſe l'uſo delle Immagini, e che (4) gli Etiopi, e (5) gli Egizj ſegnaſſero con le linee di tanti geroglifici gli eccelſi rinomati loro Obeliſchi, ſe non perchè con ſaggia avvedutezza li riputarono più atti delle lettere ad imprimere nella mente de i Popoli non meno i documenti della vita civile, che i miſterj della loro Religione. E che diſſi d'Etiopi, e di Egizj? (6) Le Angeliche ſoſtanze nella eterna fortunata Sion non con altre voci, nè con altro linguaggio fra di loro favellano, che cone le Immagini, pria nella mente concepite, ed ordinate (7): e la

(1) S. Joan. Chryſoſt. homil. 9. ad Pop. Antioch. *Si per libros nos Deus docuiſſet, illos tantum peritus didiciſſet, non imperitus. Et dives emiſſet libros, ſed non pauper; & deinde illum librum intellexiſſet tantum noſcens illam linguam, ſed non Scytha, Barbarus, Indus, & Ægyptius: verum ex aſpectu rerum creatarum, qui liber eſt communis, fructum capit idiota; pauper, dives, & quicumque alius.*

(2) Lactant. Firm. lib. 2. Divin. Inſtit. cap. 2., S. Greg. Nazianz. homil. in Nom. Dom.

(3) Paleot. de imagin. lib. 1. cap. 5.

(4) Diod. Sic. lib. 4.

(5) Philo Judæus lib. de vita Moyſis, Cornel. Tacit. lib. II. Plin. lib. 36. cap. 8.

(6) I Teologi comunemente ſopra il ſecondo libro delle Sentenze diſt. 10.

(7) Pſalm. 18. v. 1.

e la medesima immutabile verità ci fa fede, che per raccontare le glorie di Dio, i Cieli, e le altre Opere visibili della sua Mano hanno maggior forza di qualunque umana eloquenza. Non sia perciò maraviglia (1), se la Chiesa di Dio ben ravvisando i semi di pietà, e i frutti d'eterna vita, che da i segni esteriori nei cuori de' riguardanti producons, (2) fino da i primi tempi con tanto studio coltivò le sagre Immagini, che non solo gli Altari, e le mura interiori de' Tempj, ma il vestibulo, e i portici tutti di esse fregiava, acciocchè i Penitenti, e i Catecumeni esclusi dalle soglie del Santuario, non fossero almeno privi di raccogliere da quei colori con lo sguardo devoto gl' insegnamenti divini. E fu tale l'ardore de' Fedeli verso le sagre dipinture, che (3) introdotto il pio costume d' ungerle di Crisma, forse ad imitazione del precetto di Dio, che (4) fè di sagro unguento aspergere il Tabernacolo, fu poscia nell' ottava Sinodo (5) alla Immagine del Salvator nostro attribuita la venerazione stessa, che al libro de' Sagrosanti Evangelj: quindi è, che la Sposa Immacolata di Cristo non ebbe mai in alcun tempo più fiero turbine, che la percotesse, nè

(1) S. Basil. Homil. in 40. Mart.
(2) Euseb. lib. 7. hist. c. 14. Tertull. de Pudic. c. 6. & 10. S. Paul. Nolan. epist. 12. ad Sever. Natal. 9. & 10. S Felicis, S. August. de cons. Evangel. 10.
(3) Ex epist. Adriani I. ad Carol. Magn. 10. 3. Concil fol. 209.
(4) Exod. 30. & 40.
(5) Conc. 8. General. Can. 3. Sacram Imaginem Domini Nostri Jesu Christi, & omnium Salvatoris æquo honore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus.

nè più acerba, e sanguinosa piaga, che la ferisse nel cuore, se non allora, che (1) l'empio Leone Isauro, e (2) Copronimo, e (3) Giuliano l'Apostata svelte dagli Altari le Statue, e le Immagini, e cancellate le istorie de i Martiri, e relegati in duro esilio gli Artefici, che le formavano, spento ogni lume di cristiana verità, ricondussero nello infelice Oriente le antiche tenebre della Idolatria. Se dunque gli studj, e le onorate fatiche delle Arti atte sono cotanto a piegare i nostri affetti verso il Sommo Bene, e senza quelle non solo scema d'ornamento, e di decoro la nostra Religione si mira, ma a poco a poco si debilita, e vien meno, chi dirà non dooversi con ragione dal Vicario di Cristo teneramente riguardare, e della sua protezione farle gir liete, e baldanzose? Ma parmi udire, chi forse mi rampogni, e dal corso del proposto argomento il mio parlare in tal guisa richiami. Dunque l'Architettura, che al Nume profano di tanti Idoli innalza Tempj, e fabbrica le nicchie; la pittura, che ben sovente un'Adone moribondo col vezzo di lusinghieri colori ci rappresenta; la scultura, che ai Tiranni, indegni fra noi d'alcuna rimembranza, forma le statue, e i colossi, dovranno ricovrarsi all'ombra delle Porpore più sagre, ed avere nel Vaticano l'asilo? Spa-

(1) Theoph., & Cedren. ad ann. 725. Zonar. ad ann. 726. act. Steph. Junior Mart. ap. S. Joann. Damasc.
(2) S. Joann. Damasc. de Hæres. in fin. Theoph. plur. in loc.
(3) Sozom. lib. 5 c. 10. Niceph. lib. 10. c. 30. Cyril. Alexandr. lib. 6., & 10. in Julian. Greg. Nazianz. in Julian.

Sparì, è vero, e qual folta nebbia dileguossi al folgorar dell'Augusta Croce in questa Città, Regina del Mondo, il fosco del Gentilesmo; e sparse a terra restaron le vaste moli degli Anfiteatri, e delle Terme, che di magnifico lusso la ingombravano; non più regnano Tiranni, che (1) dal cuore de' sudditi riscuotano su le proprie statue gl'incensi, e la pietà de' Fedeli non più stanca i pennelli nella espressiva d'oggetto meno che onesto, e su 'l contorno della modestia profilato, e dipinto. Non può nulladimeno negarsi, che queste arti il più delle volte non s'impieghino in cose frivole, e profane, ed in tutto dall'uso sagro ritirate, e disgiunte talmente, che il patrocinio del Principe Ecclesiastico meritare non debbano. E non vedete, che la pugna (2) di Maratona, l'incendio (3) d'Ilio, e le imprese di (4) Milziade, e di (5) Temistocle, quanto bene adornavano le scuole della Grecia menzognera, altrettanto (6) alla santità de' nostri Tempj, e al nostro costume disconvengono? E se Roma ancor Pagana (7) tumul-

(1) Svet. in Domit., & in Calig.
(2) Herod. lib. 6.
(3) Homer. in Iliade Virgil. lib. 4. Æneid.
(4) Herod. in lib. 14. Plutarch. in vit. Miltiad.
(5) In lib. 8. Æmil. Prob. in vit. Themist.
(6) Concil. Trident. sess. 25. *Tanta ab Episcopis cura adhibeatur, ut nihil prophanum, nihilque inhonestum appareat, cum Domum Dei deceat sanctitudo.*
(7) Plutarch. in Marcell. *Marcellum incusabant, quod assuetum bello, & rebus rusticis Populum, nec dum delicias expertum, aut desidiam &c. Sed fruzi maxime otio, nuzi que referierat; qui dum circa artis, Artificumque oblectamenta versantur, diei plurimum mirando terebant.*

multuò contro a Marcello, allora che espose alla veduta del Romano Foro le statue tolte da Siracusa, temendo, che da quei morbidi atteggiamenti avvilita restasse, e snervata la virtù guerriera de' suoi Cittadini, quanto più dovrassi oggi di queste Arti temere, e forse coll'esempio (1) del più saggio Legislatore Ebreo dalla Repubblica sbandirle? Bene a ragione commendare si conviene Gregorio il Magno, e gli altri Sommi, e Santissimi Pontefici, che di niun lustro reputando la vastità degli Edifizj, e le memorie de' Cesari, mossero guerra col fulmine del loro zelo a ciò, che perdonò il ferro, e la fiamma divoratrice di Totila, e d'Alarico, e fecero per queste stesse contrade lunga, e rovinosa strage de i più bei sudori della Greca Scultura. Udiste, saggi Ascoltatori; nè può negarsi, se agl' Istorici dobbiamo prestar fede, che la ferocia de' Barbari, atterrita dalla Maestà Latina, più, che dalle minacce di Bellisario, non osò (2) fare oltraggio alle prodigiose moli, che coronavano il Tebro; ed è pure vero, che il Pontefice Gregorio, tutto che di generoso sangue Romano, e di animo grande, e di altre più chiare virtù, e nobili dotato ei fosse, non perdonò (3) ad opere così illustri, anzi parve incrudelire contro alle Statue, a i Cerchj, a gli Archi, e a tutto quello, che di più ragguardevole avea saputo condurre a fine l'altera potenza degli Augusti. Ma che? Dovrem noi dunque per

que-

(1) Phil. Hebræus de Gigant. fol. 251.
(2) Cassiod. in Chron. Eutrop. lib. 13. Procop. lib. 1., & 3.
(3) Jo. Diac. in vit. S. Greg.

questo, o condannare Gregorio, o imitando il di lui esempio, persuadere ai Successori di non accogliere in seno le Arti liberali? Io mi dò a credere, che non vi sia alcuno tanto male inteso delle gloriose gesta d'un Pontefice così grande, che a scapito del di lui grido, anzi che a fama immortale voglia attribuire dell'antica Roma le vicende, e le rovine. Caddero, è vero, da quel forte braccio abbattute le Opere più rinomate (1), ma nell'istesso tempo sotto il peso di esse restò infranta, e stritolata la Idolatria; e la Reina del Mondo, cancellati i vestigj della gentile superstizione, e i monumenti tutti della empietà, piegò la maestosa cervice sotto il placido giogo del Vangelo. Laonde tanto a mio credere va errato, chi, per divertire dalla cura delle belle facultadi i pensieri del Pontefice, a rapportarmi un tal' esempio s'accinse, che anzi lo stesso a ciò fare ben dee fortemente persuaderlo. Imperocchè se, distrutte in quei Secoli le Are profane, e le Statue superstiziose, sparì anche il falso culto degl'Idolatri; chi non vede, che avanzandosi oggi a più alto segno, per ragione delle nostre arti, la magnificenza degli Altari, e la bellezza delle sagre Pitture, e de i divini Simulacri, fa di mestiere, che nell'animo de' Fedeli cresca ancora, e s'accenda il vero culto, e la cristiana pietà? Fu, nol niego, del Massimo Gregorio avveduto, e santo consiglio abbattere la contumace orgogliosa Babelle, che contrastava alla Fede l'Impero; ma non sarà per avventura teme-

(1) Baron. in Sacr. Annal.

merario il dire, che mancando così giusto titolo, convertite in abbellimento delle Piazze, e de' Palagj le Statue, che poc'anzi ricevevano dal cieco Vulgo le adorazioni, avrebbe anch'egli non meno di Teodosio conservato ai nostri sguardi le opere de' più segnalati Artefici, come fe (1) con pubblico editto quel Cristiano Imperadore. Mirate, se v'aggrada, tant'insigni effigiati marmi, che (2) adornano la più remota parte del Vaticano, e (3) questo fra gli altri superbo inclito Foro di grandezza, e di maraviglia riempiono. Non sono eglino forse ricchi, e preziosi avanzi dell' Antichità, dalla provvida cura de' Pontefici ritolti alla ingordigia degli anni, non meno per diletto, che per nostro insegnamento? Il rinomato Pantheon (4), che col piè delle sue smisurate colonne par, che il vanto alla Eternità contrasti, lo dobbiam pure al Pontefice Bonifazio, che impetratolo da Foca, e toltone indi Cibele, e Giove, e Marte, e le altre bugiarde Deità delle Genti, alla Vergine Madre consecrollo. Così è, Uditori. Quella Donna straniera, e pellegrina, che al riferire di Girolamo il Santo (5), le bionde inanellate trecce tronche,

(1) Prudent. contr. Symmach. lib. 1.
(2) Le statue, che sono nel Cortile di Belvedere.
(3) Altre molte, che adornano l'Area Capitolina, ed i due suoi Palazzi laterali.
(4) Anastat. in vit. Bonifac. 4. Beda lib. 2. hist. Anglic. c. 4. Rhegin. Abb. ad ann. 607.
nel primo Ovato è ſtato eſpreſſo il celebre antico Tempio della Rotonda riſtorato da Sua Santità con incredibile ſtudio, e amore, per eſſere queſto il più intiero avanzo della Romana Magnificenza; come pure vedeſi l'Obeliſco, detto di S. Mauto, traſportato, e di nuovo eretto nella Piazza avanti il ſuddetto Tempio in mezzo alla vaſca della fontana, ancor eſſa accreſciuta d'acqua, e nobilitata di marmi. Nel ſecondo ſi rappreſenta Sua Beatitudine nella Baſilica Vaticana, allorchè nel giorno del Sabato Santo ſuole udirvi la Confeſſione Sagramentale de' divoti Penitenti. Nel terzo, quando portatoſi alla viſita dell'Oſpedale di S. Spirito aſſiſtè con paterno amore ad un povero moribondo, e gli diede colle ſue ſantiſſime mani la eſtrema unzione. Nel quarto ſi vede tanto lo eſterno, quanto lo interno della Caſa di Correzione, dove i Giovanetti diſcoli, e mal diſciplinati, o per ricorſo de' proprj Genitori, o per vigilanza del Governo, ſi tengono in rigoroſa cuſtodia ſino a tanto, che in eſſi ſi ſcorga la mutazione del coſtume, o coll'avanzarſi della età ſi rendano capaci di quella pena, alla quale ſono ſtati condannati. Seguita la quarta, ed ultima facciata, dove ſono quattro ſoprapporti corriſpondenti a due Porte vere, e due altre fatte di nuovo cogli ſtipiti dello ſteſſo rilievo per inganno dell'occhio, acciocchè non ſi accorga del Portone principale, che non reſta ſituato in mezzo di detta facciata. Nel primo ſoprapporto ſi vede la Fabbrica di S. Maria in Monticelli, antica Parrocchia di Roma, riſtorata di fondo, e abbellita da ſua Santità. Nel ſecondo ſi rappreſenta il gran Ponte di Civita Caſtellana, che congiungendo con più archi

doppj

doppj due Monti, forma in aria una ſtrada piana, e ſpazioſa, opera, che non invidia la tanto rinomata potenza de' Ceſari. Nel Terzo ſi vedono i Bagni di Nocera colla Chieſa, Portici, e abitazioni nuove per uſo, e comodo di chi ſi porta a quelle Acque ſalubri. Nel quarto finalmente, e ultimo ſoprapporto vengono delineati i Granari eretti da' fondamenti nella gran Piazza di S. Maria degli Angeli, preſſo il Teatro delle Terme Diocleziane per ſervizio, e comodità della pubblica Annona. Tutti i ſuddetti Medaglioni, e ſoprapporti ſono ornati di ricca Cornice tratteggiata d'oro, e la maggior parte di eſſi toccati d' un ottimo guſto dal pennello di Andrea Spagl Pittore Tedeſco. Reſtava adeſſo di ornare il ſito, che da i medaglioni ſi ſtende ſino al piano del pavimento, e ciò è ſtato felicemete eſeguito, con diſporre i Banconi, ne' quali riſiedono gli Ufficiali della Cancelleria, in maniera che rendono vaghezza, e corriſpondono uno incontro all' altro con ugual diſtanza, e proporzione. Sono detti Banchi di grandezza, e mole corriſpondente alla Sala, ſopra de' quali ſi aſcende per via di due ſcalini laterali: ha ciaſcheduno di eſſi la ſua ſpalliera, e nel fregio della medeſima a Lettere d'orò ſi legge il titolo, e la denominazione di quel Collegio, che ivi riſiede. Queſti in ſe ſteſſi di perfetto modello, e contorno, ſono ſtàti impellicciati di radica belliſſima di noce, e lavorati a maraviglia da i primi Ebaniſti di Roma, di modo che oſſervando attentamente le ſcorniciature, ſpigoli, oggetti, ſpecchj, e bugne, ciaſcuno confeſſa non aver prezzo il lavoro. Corriſpondenti a tutta l'opera è il nuo-
vo

vo Pavimento della Sala, composto di quadrelloni arruotati ad acqua, e tagliati a sottosquadro; i quali vengono interfecati da quantità di Listoni di bianco finissimo marmo, che formano con bella simmetria diverse figure, parte corrispondenti a quella del soffitto, e parte che fanno margine al zoccolo di ciaschedun bancone, con di più diversi monti, e stelle adattati negli spazj più ampli dello stesso Pavimento. Ma per non lasciare indietro cos'alcuna, che possa appagare la curiosità di chi legge senz'aver veduto l'Opera, sembra conveniente il dare più distinta notizia della facciata principale, che presenta a prima vista nello ingresso della Gran Sala. In questa eravi anticamente l'Oriolo a regolamento delle Congregazioni, che ivi sogliono tenersi, dipinto con varie figure dal celebre Gio. Battista Gaulli Genovese, che si è lasciato nel suo essere primiero con aver solamente rimodernato il quadrante. Non aveva questo alcuno esteriore ornamento, toltane la nuda Cornice di figura ovata, che campeggiava sul bianco della Muraglia; onde per arricchirlo a proporzione del rimanente, si finge, che la suddetta Cornice posi sopra una gran Coltre di color Cremesi, fiorata a rosoni Arabeschi, e listata di frangie d'oro. Le cascate di detto Panno in varj gruppi raccolte vengono sollevate da due putti alati, e dai fianchi della Cornice si vedono altre due figure maggiori del naturale, rappresentanti il giorno, e la notte, che la sostengono. Sopra il Cornicione andante di rilievo, che, come si è detto, circonda tutta la Sala, è stata collocata l'Arme di nostro Signore colle insegne Pontificie, sostenendo la targa con grazioso movimen-

vimento un Genio, e dall'altra parte la Fama, il tutto di rilievo. Immediatamente sotto il Cornicione si vede una tavola di marmo di Carrara tutta di un pezzo, di 14. palmi di lunghezza, e sette di altezza, ornata con Cartelloni, Cornici, e Festoni di stucco, sopra la quale a Lettere rilevate d'oro si legge la seguente Iscrizione.

CLEMENTI XI. PONT. MAX.

OB AULAM REPARATAM ORNATAMQUE

COLLEGIA CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ.

AN. DOM. M. DCC. XVIII.

Sotto questa Iscrizione segue la Spalliera, e Banco degli Scrittori Apostolici, cinto di una Balaustrata, che lo rende simile ad un Trono Reale, sul riflesso, che, essendo questo Collegio più riguardevole degli altri, non isdegnando lo stesso Sommo Pontefice intitolarsi Scrittore Apostolico, doveva ancora il luogo distinguersi sopra degli altri. Da i lati di detto Bancone posano sopra due piedistalli di pietra due gruppi di Statue maggiori del naturale tutto rilievo, rappresentanti la Giustizia, e la Carità con diversi Putti, e suoi Geroglifici, Opera di Francesco Moderati Scultore Romano universalmente applaudita. E giacchè si è parlato di queste due Statue, par necessario il dare un tocco ancora delle altre, le quali, benchè solamente dipinte a fresco, non meritano di esser passate sotto silenzio. Al lato dunque del Portone, dove si passa per entrare nella Gran Sala, si vedono le due Statue, che rappresen-

tano

tano la Teologia, e la Eloquenza Sagra, Virtù proprie del Regnante Pontefice. Nella Parete dirimpetto alle finestre vi sono tre vani corrispondenti alle medesime; quivi si fingono tre Archi sfondati della stessa luce, a proporzione delle Finestre, dentro il voto de' quali si vedono dipinte le tre Arti Liberali, Pittura, Scultura, e Architettura, cotanto beneficate, sostenute, e promosse da Nostro Signore, che di buona voglia pare, che concorrino a riempire, e ornare questa grand' Opera, per corrispondere al bel genio del Sovrano loro Benefattore. Nè si debbe lasciare di porgere alla notizia de' curiosi, che tutte le Pitture di questa Sala, toltine i Quadri, e le Prospettive delle Fabbriche, sono parto del Cavaliere Giuseppe Nasini Sanese, il quale, oltre il credito acquistatosi in altre opere fatte ultimamente in Roma, ha saputo in questa congiuntura superare se stesso per contribuire alla fama di questo riguardevole Teatro. Terminata con felice successo dentro il corso di un Anno l'impresa; la mattina del Venerdì avanti la Quinquagesima portatosi Nostro Signore all'adorazione del Venerabile esposto nella Chiesa di S. Lorenzo in Damaso colla solita magnificenza dalla chiara pietà dell'Eminentissimo Signor Cardinale Ottoboni Vice-Cancelliere, passò la Santità sua ad onorare della sua presenza la Gran Sala, e dopo averla nel primo ingresso considerata tutta insieme con particolare attenzione, e dimostratone un benigno gradimento a chi ne aveva avuto il pensiero, e la direzione, si pose a passeggiare per la medesima con buon numero di Signori Cardinali, che erano andati a servire Sua Beatitudine, per poter consi-

derare più minutamente, e a parte a parte, la vafta idea dell' ornato, godendo di lafciare agli Uffiziali della Cancelleria, e al Pubblico una teftimonianza così infigne della fua Pontificia Clemenza. Non farà forfe difcaro al Lettore, che fi chiuda la prefente Relazione collo Epigramma, che fu pubblicato in altra fimil congiuntura, parendo, che in quefti pochi verfi fi racchiuda, quanto di fopra fi è detto.

AD

AD SANCTISSIMUM

CLEMENTEM XI.

CUM AULAM

CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ

REPARATAM ORNATAMQUE INVISERET

EPIGRAMMA.

AUla Palatinis hæc est non Aedibus impar,
Cui facies longo decolor ante situ.
Aspice barbarico laquearia culta metallo,
Quæ mors intranti pendula nuper erant:
Et si de Libyco non crescunt Pulpita dente,
Nobile materiem vincere gaudet opus.
Jam non antiquos subtilis Aranea muros,
Dædala sed vivo dextra colore linit.
Implet utrumque latus Princeps, pariesque superbit
Imbutus, Domini facta referre sui.
Porticus, Hospitium, Statuæ, Navalia, Thermæ
Adsunt, & vero reddita Templa Deo.
Sparsa quid in tota petimus miracula Roma?
Omnis in hac Aula Roma coacta nitet.
Sed Romam, atque Aulam, viso Te Præside Mundi,
Despiciam: Vultu miror utramque tuo.

LETTERA

O SIA PARERE SOPRA UNA CANZONE.

Roma 22. Giugno 1701.

IL caldo eccessivo, che oggi non mi lascia riposare, mi porta almeno un' altro vantaggio da me più stimato, che è quello di servirvi nella lettura, ed esame della Canzone trasmessami nell' Ordinario trascorso. Prima d' ogn' altra cosa vi faccio le solite proteste, che non intendo di far credito alcuno alle mie riflessioni, perchè lontano del tutto da questa sorta di studj, piglio solo la penna per ubbidirvi, e per passare con minor tedio l' incommodo della Stagione. Dalla vostra lettera, e dal Componimento medesimo vedo, che vi fete preso ad imitare il Petrarca, e ne provo quel piacere, che potete figurarvi, sperando col tempo che siate per attaccarvi di tal sorta a questo divino Autore, che a poco a poco entrerete nella vera strada di comporre in Poesia Toscana, da un mezzo secolo in quà nella nostra Patria tralasciata affatto, e smarrita. Che poi (come vi figurate) siavi riuscito d' imitare il Petrarca, contentatevi, che io non ve la passi con quella facilità, che pur vorrei; poichè la imitazione d' un Autore non consiste mica nel fare le stanze col medesimo numero di versi, e nel pigliare da esso il filo, e la invenzione, ma bensì

nella

nella sublimità del concetto, nelle forme del dire, e in tutte quelle parti, che lo rendono singolare. Anzi se voi aveste preso un' altra invenzione, e un metro giammai usato dal Petrarca; e che all' incontro la frase si fosse a quella accostata, allora potrei con più giustizia rallegrarmi, che aveste il Petrarca imitato. Conosco non pochi, che quando han messo nei loro Componimenti un *Donna*, un *immantinente*, un *lato manco*, tosto si credono d' esser divenuti Petrarcheschi; e molte volte ho veduto un'altra sciocchezza maggiore, che si fanno ad imitare tuttociò, che in esso per colpa del secolo di più duro, e meno lodevole si ritrova, lusingandosi in tal guisa d' aver toccato il segno. Ma lasciamo andare costoro, e vediamo adesso, se voi avete imitato il Petrarca. Io accennerò stanza per stanza quello, che nel leggere la Canzone non ha sodisfatto la mia corta capacità; dico accennerò, perchè se volessi portare le ragioni, e l' autorità di quelle, che accenno, farei più tosto un trattato, che una lettera. Voi dopoi sarete il giudice, se abbiate conseguito, o nò il supposto fine della imitazione. Quanto alla Idea, per verità vi confesso che ogni altra averei tolto dal Petrarca fuori di questa; non parendomi proprio applaudire alla esaltazione d' un gran Principe per via d' enigmi, e di visioni; e quanto calza, e fa bene nel soggetto funesto della morte di M. Laura, altrettanto a mio credere disdice in uno d' allegrezza, come il presente ec.

I. *Schiera men rea ec.* Se era meno rea, come dite, non dovevano li vostri pensieri portarvi tanta confusione, ed orrore ec.

M' apparver fieri ec. Cominciate a fissare l'occhio sù pensieri, e subito li lasciate, passando agli oggetti senza dir più altro de' pensieri ec.

Da far per la pietà ec. col verso seguente non l'intendo, nè sò se la pietà d'esser fiero debba essere del Dio del giorno, o degli oggetti. Sia però di chi si voglia, questa pietà a me non piace ec.

Poi rimirando ec. sino al fine della stanza è detta assai bene ec.

II. *Rotar più spade ec.* In questo verso ci sono almeno una mezza dozzina di p., che lo rendono durissimo ec.

Era sul Tebro ec. con ciò, che segue per tutta la stanza, è detto bassamente, e senza colore di poetica fantasia.

Vedova spesso ec. Chi vedeva la Sede di Piero vedova, e lacera? Quì si parla delle Daghe, non so come dite *vedea*, e non *vedeano*; se poi sete voi quello, che vedete, non sta bene posto in retto, *che di sommerger vaghe ec.*

Nè quel sangue ec. Trar sete ad uno non l'ho mai inteso, nè lo direi, parendomi piuttosto parlar Turco, che Toscano; trar la sete sì, quando quel trarre in vece d'estinguere, o smorzare fusse usato da buoni Autori. Anco quel *sete di prede* è cattivo la sua parte ec.

III. *Altro pensiero ec.* Salire i pensieri alla mente mi pare una frase barbara, nè in tutto il Petrarca, che in mille luoghi parla di pensieri, ne troverete un solo esempio.

E col pensiero unito ec. Il primo non è altrimenti un pensiero, ma visione; voi stesso lo dite, *viddi una belva ec.* Nè meno intendo que-

questa vostra età di ferro. La stanza antecedente parla, credo io, delle persecuzioni della Chiesa, e fin quì cammina bene, che la chiamiate età di ferro. Ma che ha che fare l' appetito, e la ribellione de' sensi contro la ragione, su le quali cose fondate tutta questa stanza, con la età del ferro? Osservo pure, che fate un gran guazzabuglio di pensieri, e visioni, laddove il Petrarca, che avete preso ad imitare, porta schiettamente le sole visioni senza tanti pensieri, onde dubito, che la vostra Canzone abbia più bisogno del Gesualdo, e Vellutello di quella del Petrarca.

E questo si devria ec. Modo di dire bassissimo, nè so a chi debba riferirsi il *questo ec.*

V. *Indi vidi ec.* Sino al timone non mi dispiace ec.

E quand' altri ec. Questi tre versi mi cadono assai, e quel *in tenzone* è cattivo la sua parte. Leverei anco il bisticcio di perire e periglio.

V. *Questa sembrommi ec.* mentre avete detto di sopra, e messo in campo la età del ferro, e fate appresso seguire quella di bronzo, che bisogno avevi di ripetere, che questa non vi sembra la ferrea etade?

Con più contrasti ec. Quel meno spade a me non piace niente ec.

Mercè dell' alme ec. Mercè si dice d'una cosa graziosa, e talvolta per ironia d' una cosa non graziosa, ma giammai d' un fatto enorme, che voi stesso condannate ec.

Dal rio velen ec. Questi due versi provateli sul Colascione, che anderanno benissimo, ma non li vorrei già mai sentire in una Canzone Eroica ec.

VI.

VI. *Vedo che 'l ſuol ec.* Con ciò, che ſegue, ſono modi di dire troppo pedeſtri, e li due indicativi dèl luogo *sù* e *v' era* non ve li paſſeranno i buoni cruſcanti ec.

E cangiarſi il cordoglio con ciò, che ſegue, è triviale aſſai.

VII. *Coſtei ec.* Fate Giove una Verginella non sò con quanta proprietà.

E come al genitore ec. Quì per compiere il ſenſo doverebbe eſſerci un' altra parte d' orazione, e come fu fatto queſto, così ſeguì queſt'altro. Se poi, come credo, fermate il ſenſo al *Genitore*, dite troppo poco, mentre già ſi ſa, che il Papa è Padre comune.

VIII. *Al fin ec.* In queſta e nelle due ſeguenti ſtanze ci ſono tanti Cani, che ſon troppi. Oltre queſto dite *al fine*, come ſe fuſſe l' ultima viſione, e poi ne fate una quantità grande di più ec.

Donna ec. Queſta Donna non ſi ſà chi ſia. Se è l' Alba, come par che vogliate accennare, perchè la diſtinguete nella Strofa ſeguente dal Vicedio, che è la ſteſſa coſa coll' Alba figurato nella donna, che a niun cede in maeſtà? Non vedete che ſono troppi Idoli, e che rendono confuſione?

IX. Queſta ſtanza non mi ſpiacerebbe, ma quel porre il Papa ſopra il Cocchio non l' approvo, non eſſendo luogo proprio del Papa.

X. *Le vittime ec.* Non ho potuto mai capire, quali ſiano queſte Vittime d' eterno Amore ec.

XI. *La Carità ec.* col verſo, che ſegue, è baſſiſſimo. Levate quei Lazzari per carità, che ſono più che quatriduani ec.

XII.

XII. *Sedeano ec.* Questa sapienza, che mira la sapienza, è un Altare contro Altare. Voi fate che la Carità, la Fortezza, e la Giustizia stiano attorno, e faccino corona al Pontefice, e poi la Sapienza, che dovrebbe precedere alle altre Virtù, la mettete a sedere in un gradin più basso. Questo si chiama un errore contro il Cirimoniale ec.

Rende di sua zampogna ec. Quì tuono e suono è tutt'uno ec. Febo e Apollo fa la stessa confusione del Nume uscito dalla testa di Giove e la Sapienza. Quell' Apollo eretto al Regno l' è pur cattivo. Ciò che segue è oscurissimo, non sapendosi, se sia Febo, o Apollo quello, che gradisce il canto delle Muse intronate. Suppongo che quel *presso al Triregno* voglia dire, che Albani entrò nell' Accademia Intronata poco avanti del Pontificato; ma l' è pure oscuro, e detto bassamente, e quel che è peggio significa un' altra cosa, cioè che Albani con le Muse Intronate s' unisce vicino al Triregno. Più tosto averei detto *tra lor* che *con lor*, ma tanto non si sfugge l' enigma di quel *presso al Triregno*, e la bassezza della frase ec. Questa senza fallo è la peggiore stanza, che ci sia ec.

XIII. *Non più tema ec.* co' due versi seguenti sono molto scaduti.

Da un Fonte nasce ec. Fonte e sorgente è tutt' uno ec.

A vista ec. Questo verso l' è meschino bene ec.

XIV. *Quando a crear spirasti ec.* Preso lo spirasti ne' termini, che quì si prende, è un puro latinismo, che non cammina in Toscano; e poi

spi-

ſpiraſti a creare alla Nave è una forma di dire delle più barbare, che ſi poſſa ſentire.

Onde conduca ec. Ho veduto ſempre camminare a piedi il Pellegrino, e l' etimologia ſteſſa del nome lo dimoſtra. Voi lo fate troppo commodo, e non volete ſi ſtracchi mandandolo in Barca.

Che fatto Cittadino ec. co' due verſi ſeguenti poſſono andare uniti a quei due della Tartarea Tana per l' aria d' un Maggio.

XV. *Non fu un Saturno ec. Un* Saturno, *un* Natale; *un* più benigno, *un* divino; di tutti queſti *un* così affollati inſieme ne leverei tre per lo meno, laſciandolo appena al Natale ec. Oſſervo ancora, che già nella ſtanza antecedente avete detto che lo Spirito S. fu il duce di queſt' Alba. Ora che ſerve in queſta il ripetere il *Paracleto fu il benigno Pianeta* con ciò, che ſegue? Non vedete che in tutta queſta ſtanza non avanzate niente, e rifriggete ciò, che avete detto poco fa?

Splendea ec. Queſt' Atleta non lo poſſo patire, ſuppongo ve l' abbia dato la rima, non vedendo per altro conneſſione alcuna tra l' Atleta e la Cometa, o i monti, o che ſo io ec.

Che vi appreſe ec. Non ſi ſa, dove il Papa abbia appreſo a placare il furore, ſe nelle note, o altrove; nè di chi ſia il furore o del Papa, o d' altri. Queſte ſono parole, che ſervono per tutti i Componimenti, e non ſignificano mai coſa alcuna ec.

XVI. *Quanto l' occhio ec.* Suppongo, che quel *ye vidde il tutto* vada fra due parenteſi, altrimenti non può camminare il ſenſo.

Ta-

Tacerai con frutto ec. Qual è questo frutto del tacere? Ma quando anco ci fusse un gran frutto, vi giuro che non mi servirei mai di questa forma di dire troppo bassa e volgare ec.

Non ostante tutte le suddette riflessioni, e molte altre, che si potrebbero fare particolarmente su lo stile, posso e devo rallegrarmi con voi, che in questo Componimento abbiate almeno detto delle cose, nè sia svanito tutto in parole, come bene spesso accade sotto cotesto Cielo. Li pregiudizj letterarj, co' quali costà siam nati, ed abbiamo ricevuto la educazione, sono molti, & essenziali, onde non senza un lungo studio sopra li buoni Autori si può ripigliare il vero gusto di scrivere. Compatite la libertà della penna, che nasce da un buon cuore altamente interessato per il decoro della Patria, e vantaggio degli Amici. Addio.

PROLUSIONES ACADEMICÆ

Quas Auctor adolescens lucubravit.

I.

PETRO POMPONIO VECCHI.

Locrensium Rex Seleucus, ne quis injuria maritales thalamos afficeret, legem tulit, ut adulter perpetua oculorum nocte fugitivæ voluptatis momentum expiaret. Merito enim vetitis illecebris qui fuerant duces, perdi debuerant, & ad comprimenda flagitia ipsa peccandi semina fas erat excindi. Adolescens Principis filius ea ætate, qua ma-

ſuſcipiunt. Equidem laſſi curarum æſtu bibant puriores auras, & in oſtro ſuperbe feriati aſperam gemmis cervicem reclinent. Sed non habeant triſte privilegium impune peccandi, nec fuco dignitatis velut Spartano Cothone dilutas injurias miſeris propinent. Quiſquis hæreditaria tabe adivit vitiorum patrimonium, quod Parens in pomo adulter nepotum fidei commiſit, non temnat Legum panaceam, quæ corruptæ humanitati medetur. Favore impotentis Deæ non adeo excellit, ut in noſtræ mortalitatis mala regalis genius indignetur adoptari. Divina pene ſit dominantis ſolii majeſtas, *digna etiam vox eſt majeſtate Regnantis legibus alligatum ſe profiteri*. Cæterum te ipſum intuere (Juvenis ingenue) & jubar veritatis agnoſces, niſi invida modeſtiæ nubes prohibebit. Sapiens Aula eſt tuæ mentis receſſus, cujus limen aſſuetum jure ſervitutis Procerum penetralia invadere, vitium non delibat. Sedet illic domeſtico in ſolio princeps animus, & geniales obtutus dividit in virtutes ambitioſa mancipia. Non illi aut teneræ frontis amabile exitium, aut fortunæ blandimenta ſubdolis vocibus adulantur; quin imo obſervantia firmat leges, quas ſecreta in Aula vulgatas ancillatrix virtus adoret. Recede igitur ab arena, ſi hanc unam ex tuis Theſibus propugnare affectas; triumphum velut Parthicum ſola tibi victrix fuga adornabit. Quippe ſi animi tui dotes inſpexero, vel conſciæ mentis mendacio illis diſſentiri fas erit, vel temeritatis opinione a tua ſententia deſciviſſe.

II.

II.

EIDEM.

CONsenuit effoeta natura Orbis terrarum, & a simplici majorum cultu ætas nepotum pene abhorret superbo fastidio. Docilis in vitia animus, & mens deliciis fracta gaudet parcitatis rubore in conviviis splendide saginari, ut charius sibi periculum creet. Jam Chaoniæ quercus pabula lactentis mundi crepundia devovet palatum, priscarumque Gentium quasi necessariam virtutem irridet. Delicata est gulæ libido, nec nisi mollia, ac peregrina inertiæ fomenta tenero quodam sensu affectat. Ubi nunc agrestes Curii cenæ, quibus imperiosum auri jubar inani pretio affulsit? Periere steriles Fabricii mensæ, quas Consulis coloni trabeati sudores condiebant. Tunc ego vellem (Juvenis ingenue) tuam de gustu sententiam inter frugi convivas proferre, cum Dictator agricola germinibus indulgebat, quæ plebejam indolem dediscere nondum tortor luxus coegerat. Forsan majorem apud illos verbis fidem invenisses;

Quippe aliter tunc Orbe novo, Cœloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati,
Compositique luto nullos habuere Parentes.

At nunc inter pretiosa meretricis Reginæ pocula, & triumphales Latii dapes diu jejuna illecebra versatus didici non in nervis tantum a ce-

rebro

rebro descendentibus (*ut in* 1°. *asseris articulo*) potentiam gustativam subjectari. Tota anima comedimus, & vires nobilioris formæ ventri mancipamus. Agedum, si placet, Sibariticæ mensæ accumbe. Quota pars est, quam crudus dominus delibat? Sabæis mercibus oblinuntur lances, & odorum imbrem, quem non in perniciem lacunari diducto laxat crudelis lascivia, nares vorant. In expugnandis Junonis avibus agilis manus triumphat, doctisque vulneribus saturata oris officio lente assurgit. Dicteo Autumno sudati liquores trullam feriunt, ut felici omine auribus blandiantur, & plerumque de pompa luce inutili ebrius tantum oculus luxuriat. Anne titillant nervos per linguam extensos fercula, quæ non sapiunt fastidiosæ gulæ, nisi naufragia redoleant? Anne carnem porosam vellicant dapes mille saporum adulterio corruptæ? Placaturne sitis, dum dextera exultat in cyatho, quem mentoreis signis asperum gaudet temulentis digitis lacessire? Parce, Juvenis ingeniose, forsan beneficio virtutis sapienter ignoras veritatem. Vitia sunt, quæ esuriunt; sobria enim est necessitas, & corpus modesta fovet desideria. Nonne vides ambitionis orexim expiari, dum in mensis, quas ultra Phasim petita volucris auget, plura cupit, ut nauseet? Saginatur superbia, dum regalis culinæ fumum Provinciarum spoliis excitat, & immanibus focis litat elementa. Plus dissoluto lenociniis stomacho adulatur pretium, quam exquisita obsonia, cibisque, quos educant domestica sydera, contemptis, e barbaro littore suavitatem adoptat. Quid ergo tuam Philosophiam jactas enervi sæculi genio, qui naturam ipsam increpat, quasi ad peccandum affli-

ctas vires dederit, & ad vulgaria solum flagitia irritamenta præstiterit? Gaude tamen, quod, ut tuis Thesibus adversarer, ab Epicuro tela mutuavi, nec potui in te invehi, nisi a virtute joco insonti desciviſſem.

III.

PANDULPHO SPANNOCCHI.

JUstitiæ templum non tam loquaci Artificum scalpro elaboratum, quam tuis illustre sudoribus ante oculos graphice delineasti. Nec miror molem Orbis miracula superbe despicientem, quippe qui jure hæreditario Patriam implere decoribus juberis, monumentis priscæ ætatis extorquere debueras obsequium famæ adulantis. In solio regali non ostro fericisque adultero collocasti humanæ vitæ moderatricem; cerno dexteram ancipiti lancis iudicio metuendam, stricto ense armatam non video. Ergone bene audientis auræ invidis funeratæ contumeliis noxio cruore non licet parentare? Ergo nomen, quod vitæ pretio servare natura contendimus, impii detractoris morsu vindicare turpe est? Peccavit natura, quæ humanos animos ad ultionem proclives effinxit, si violatæ famæ candorem saltem sanguinis induere non licet purpura calenti. At si perpetui unius Urbis mores in legem coalescunt, non abs re arbitror posse gradum componi ad singulare certamen, dum longo seculorum cursu ubique mortales injuriarum opprobrio cæsi hostis cruentam

tam voluptatem litavere. Quæ enim ætas non vidit pro veritate causæ, aut Regni libidine privatos judice ferro decertare? Adhuc in flebili Thebarum scena tenerum Argiæ pectus, fratris inter mutua vulnera polluit exanimis Polynices. Adhuc in Ilii terrorem carpento Argolico exangue pondus superbe circumducitur. Imminet illic in Latii finibus Heros Dardanius jugulo perituri. Hic, ut infans Martis regnum zonis purpureis eniteat, dominium sancit Horatius sanguine Albanorum. Verum non modo pectus mortale pugnæ hujusccmodi flagrat libidine. Nonne audis, ut vel ipse frigidus Boreas non Orithyæ amoribus, sed pugnæ calore fervidus bellum indicit Aquilonis animæ rivali? Ipsa vel æquora in civile odium excita undarum ultricium liquido duello infense colluctantur. Quid Equus, aut ferox Taurus ad fluminis ripam lasciviens, quem fœmina urit videndo? Nonne

Dulcibus illa quidem illecebris, & sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes?

Haud igitur in leges erit, quod & usus legem fecit, & natura confirmavit. Præterea si Gallico Oresti licet exerto mucrone Parentis Europæ sinum fatigare, Oceanum urgere silvis bellatricibus, omnia cæde miscere ac tumultu, nonnisi ut bello inanem gloriam aucupet, aut pace bello crudeliori Principum potentiam infirmet, privatis Civibus non ad captandum auræ popularis obsequium, sed ad propulsandam ignominiam pari bello decernere indignum erit? At inquies, barbaro præliandi genere interdicto, melius Civium

improbitas Judicis arbitrio torqueretur. Equidem quo risu crudeli detractores superbi stolidæ miserorum patientiæ insultarent? Adeant Jura, & Tribunal imbelles fœminæ, aut quibus avara natura hebeti animo spiritum inertem associavit. At quisquis virtute, & viribus pollens injuria lacessitur, exerat robur in hostis vilem insolentiam. Possunt enim Jura impudentis temeritatem profligare, famam vero alieno livore deturpatam cohonestare non possunt. Redde igitur, Juvenis ornatissime, tuæ Justitiæ decus, quæ sine gladii præsidio, quanquam in Templi illustris honore sedeat sublimis, dolet non integram suo imperio adscribi potentiam & majestatem.

IV.

SAtis mors vetitæ voluptatis degener filia nunc in cyathis ebria, nunc in rosis lasciva, satis inquam (Juvenis ornatissime) crudeli joco superba sæviebat, nisi etiam familiare in excidium domesticam humano corpori fecisses. Ergo calor febrilis (*ut in 6. asseris articulo*) idem erit cum calore naturali? scilicet hoc tantum deerat ad naturæ dedecus, ut febris ipsa diceretur vitalis calor, & vitia putrescentis corporis in alimenta vitæ adoptaret Philosophia. Quantum ingeniose aberres a veritate, non ars medendi alieno periculo audax, sed gentilis indolis experimentum, amor, inquam, aperte demonstrat. Tenera ista animorum lues, quæ dulci furore sævit in præcordiis, satis superque patet, quam non sit humano

mano corpori naturalis. Amor enim nascitur ex cupiditate externi boni; quin imo sæpe non expectata oculorum fide, aut blandientis famæ rumoribus, aut lenæ picturæ illecebris lactati æstu impotenti sollicitamur. Hoc tamen ignoto furtivoque calore amatorius pulsus accenditur, lentaque febris macie amantium vultus impallescit. Audi, ut infelix Dido Argolici incendii ruinis agitata apud Maronem amabili tabe vexatur:

At Regina gravi dudum jam saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Audi, ut Phædra adultero desiderio lymphata cothurnos agit in theatro:

Spes nulla tantum posse leniri malum,
Finisque flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tacito, & inclusus quoque
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.

Quod si testes hujus veritatis Poetas adhibere recusas, & amantes largos animæ dicas, ac per jocum solitos mori imaginario funere; adi cubiculum, ubi filius amans torquetur, vafer Medicus lascivæ valetudinis causam indagat, Pater indulgens indecora pietate flectitur. Jacet adolescens ferali pallore decolor, & languida oculorum acies jam jam palpebris addita lucis usuram amittit. Abest linguæ jactantia, quæ credula corda expugnet, sed noxia tantum amoris valetudine jactatus intabescit. Recede igitur a tua sententia non hoc uno exemplo profligata, sed quotidiano Juventutis experimento futili, ac inani. Quippe

amoris febrim non naturalis calor, sed ignis advena, & peregrini ocelli tremulus fulgor accendit. Ceterum quod fragilem hujus vitæ machinam fulcit, non potest eamdem impetu lethali divellere, & leve Zephyri flabrum, quod odoram Pesti familiam educat, nunquam erit Austri crudelis turbo.

V.

ICtu pene gladiatorio non perfunctorie verberatus, toro resupinus jacebam, paulumque ab informi tabe purgato lumine immanissimum ludendi genus damnabam. Ergo ne, ut oculos pascam curiose spectantium, pene excæcari dulce erit, ac decorum? O mites Daretis cæstus, o mollis impetus pugilis Amyclei! Parcite Patriæ mores, quos & ego sæpius colui. Barbara est voluptas illa, quæ innocuo sanguine temeratur. Romanæ olim in theatro feritatis heu quantum hausit tuus hic crudelis jocus! Deme larvam fucumque speciosum ludicro certamini, nil nisi odium, ira, & sæpe furtivæ ultiones patebunt. Adhuc in cruentam pugnæ dementis personam ferebar animo impotenti, cum remisso genæ liventis dolore, soporis lenocinio cæperam paulatim indulgere. Nec mora; visa est virtutis imago situ degeneri polluta, fortis tyrannidem ingemiscere, scissaque cyclade oris saniem detergens: Quid doles, inquit, exiguo libatus vulnere? viden comæ in ligestæ errores, frontisque lacerum decorem? Hoc ego quoque dedecus a bac-

bacchante Juvenum lafcivia accepi. Neglecto virtutis honore, in fcenis perfonata fuperbit libido. Rauca ebrietas, & marcidæ paffim voces refonant:

. . . . potare, & fpargere flores
Incipiam, patiarque vel inconfultus haberi.

At tu, fi fapis, novum pugnandi genus aggredere. Hoftis otio magis, quam viribus debellandus. Dixerat, & imago fimul cum fopore evanuit, non vero pugnæ infelicis veftigium. Ergo juvat execrata pugilum barbarie in hac fplendida alea fapientiæ nomen dare, & te, Juvenum fapientiffime, ducem potius fequi ad feliciffimum certamen, quam hoftem laceffire. Tu nempe ille es, qui innata modeftiæ purpura temporum vitio nudam induis virtutem; ille es, per quem licet neglectæ fapientiæ ad ingenuæ originis decora provocare.

VI.

MArcida fomno lumina pollice detergebam, dum luce adhuc incerta rimarum vitium in feneftris diei crepufculum cœperat accufare; cum fubitus horror mentem impulit, aut male vigilanti vifus eft impellere. Pulcherrima quippe virgo ftetit ante oculos, & ad omne illecebrarum lenocinium phalerata. Vividus in luminibus fulgor frontis mollitiem blande efferabat; veftis cycladem aurea fibula coercebat pretiofa tyrannide; crinem quoque fuper humeros undantem

lasciva negligentia decoraverat. Nec uno tantum monstro attonitus haesi; adstitit enim elegans Puellarum chorus, qui tacito frontis obsequio priori larvae famularetur. Ast ego nunc virginum decorem, nunc pompam cultumque peregrinum, nunc formae plusquam mortalis jubar curiose perlustrabam. Tunc quae caeteris praestare videbatur, exeruit tabulam tenui serico implicatam, eamdemque nudatam mihi concernendam imperiose exhibuit. Erat autem tela coloribus imbuta, in qua regiae indolis Matronam doctus Artifex ad vivum expresserat; sed faciem situs, ac squalor, obortae oculos lachrymae adeo corruperant, ut ab ipsa gemitus expectare auderes. Formosus tamen erat ipse dolor, frontisque moeror nescio qua tristi voluptate placebat. Fateor equidem; stupori animus non sufficiebat, quidque tot monstra portenderent, tacita admiratione quaerebam. Sed illa, quae linteis picturam exuerat, quam, inquit, ex habitu oris nondum agnovisti, Poesis ego sum; quam vivaci succo perlita refert imaginem tabula, Jurisprudentia est. Hanc scientiam tot sudoribus, tot miseris excultam ingeniis istius Matronae species sustinet. Cerne, ut lacerae oras cycladis regiae fortunae ludibrium contumaci majestate conservare laborat? Quid erumpentes lachrymae, quid sparsa per collum comarum luxuries indicat, nisi eius licentiam per immensa volumina, per immanem librorum seriem diffusam? Haec vero ars insontibus jocis inimica e Musarum consortio adolescentes abripiet, ut in illius cultura ingratissimo labore assidue torqueantur? Desinat tandem infelix Juventus arcanis illis Legum verbulis tanquam Delphicis oraculis insiste-

re.

re. En blandissima Heliconis siren ad Pimplæ margines molles delicias, nudasque illecebras adorno. Hæc illa. Ast ego libratis cogitationibus hærebam. Quid facerem? Hinc dulce murmur Fontis Castalii auribus adulabatur; illinc scientia pacis armorumque ministra obsequium etiam ab invito extorquebat. Expugnavit tandem animum discordi tumultu labantem Jurisprudentia, devotisque Poesis lenociniis, adsum, ut totius Orbis moderatricem a sordibus, quas tela adultera mendaci colore sustinuit, ad imperii aviti majestatem, & decora vindicem.

VII.

CAnora Poetarum insomnia sapienter aliquando delirarunt. Dubitas adhuc esse Deum?

Iuppiter est quodcumque vides, quodcumque movetur.

Pulcherrimam Orbis, Cœlorumque structuram quis unquam secum reputat, Auditores ornatissimi, quin necessaria subeat contemplanti consideratio summi rerum omnium Opificis? Præviis Aurora facibus splendida rosarum liliorumque mixtura superbiens leniter caliginem dissipat; mox adulto lumine Planetarum Princeps institium indicit ancillatricibus umbris; gramina concoquit, excipit margaritas, Tellurisque civilem indolem nutricio splendore fovet, ut non solum in fruges, sed in voluptatum instrumenta luxuriet. At paulatim expirantibus radiis, lucidam in hæreditatem

soro-

fororem fubftituit. Hæc nobili fiderum fatellitio ftipata modica fuffufa luce argenteos candores explicat, æftumque diurnum fuccrefcente temperat humiditate. Sed, ut cætera fileam, quanta renident in homine Numinis difpofitoris argumenta? Quæ artium fublimitas, quæ vis ingenii in hac divinitatis idea non eft ab illo recondita? Tanta nimirum in oculis elegantia, tantum in habitu totius corporis artificium, tanta nec temere congefta varietas, Authorem probat ipfa fuum, æternique Jovis fatis facundo filentio prædicat munificentiam. Liceat mihi æftu percito cum Tertulliano fatuas mentes increpare. *Non Latinis, nec Argivis folis anima de Cælo cadit; omnium gentium unus homo nomen eft, una anima, varia vox; unus fpiritus, varius fonus, propria cuique genti loquela, fed loquelæ materia communis. Deus ubique, bonitas Dei ubique.* Impavidus ergo eruditam arenam ingredior. Palladis aleam non timet, qui pugnat fub aufpicio veritatis.

VIII.

SPlendida mortalium vefania, quæ triumphali monumento, Phariifque Obelifcis pofteritatis admirationem captare credidit, mifere ingeniofa nonnifi in titulum fepulchri laboravit. Periere Orbis miracula ad fatorum invidiam erecta, & moles, quæ doctos Phidiæ, Scopæque labores fatigarunt, folo disjectæ aut famæ tumulum ftruxere, aut mortis indigeftis reliquiis Niliacus colonus aratro infultat. Verum, quid de temporum mor-

fu

ſu querimur mortales, qui, quaſi vulgare eſſet infortunium hæreditario jure curarum patrimonium adire, nobis ipſis ruinas molimur, nec fatuum videtur aliquid durius addere neceſſariæ calamitati? Qua clade mutuis vulneribus ſaginata Europam Aſiamque collidit regnandi libido? Si Tellurem aſpicio, illic rebellis manus civili ſcelere fortis ſpes anni maturas depopulatur; hic Thracum Luna Catholici Solis illuſtre dedecus ridet inſolenti cornu, Iſtrique fluctibus tingit jubar famoſum. Illic Barbarorum cadavera aeris vitio pugnant, ipſaque funera ad novum excidium impuro halitu ſæviunt. Si oculos in mare detorqueo. Findit illic Lybicas undas Gallorum claſſis, Africæque littoribus felici temeritate minatur, aut Italiæ finibus gravis alieno malo virium ſibi vindicat opinionem. Hic piratici Lembi Mercatorum captivitate, prædaque opulenta Maria infamant, & magnitudine ſceleris furti infamiam deliniunt. Tu vero (Adoleſcens ingenue) hunc terrarum Orbem temporum morſu jactatum, ſortis vicibus caducum, Incolarum æſtu impotenti exagitatum naturam Divinæ Ideæ conſortem ſortiri potuiſſe arbitraris? Nolo exultet tam illuſtri titulo hoc fortunæ ludibrium. Nimium ſuperbe dedignaremur mortalitatem, ſi domicilium æternitati coævum noſter genius incoluiſſet. Satis audaciam votorum neſcio qua ambitioſa vanitate lactamus, conſcii hanc terræ molem in tempore productam; quod ſi felici cognatione æternitatem adoptaret, humanæ naturæ obliti Deo commune ſceptrum veſania indolis affectaremus. Nonne vides, ut tumeat familia, ſi quæ non interrupto Avorum

curſu

cursu cognatos domi fasces numerat, aut longis Porticibus ostentat?

Et curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis nasoque carentem?

Scilicet ea est mortalium conditio, ut eo magis superbiat, quo natalis sanguinis rivum altiori fonte deducit, truncoque avito majorem clavorum numerum inserit. Quin immo sæpe pro vetustate originis ipsa Natalium oblivio splendido fuco mentibus illudit, facilique ignorantia nobis favemus ea, quæ nescimus, digna quidem esse familiæ decora, sed ætatis invidia prorsus corrupta. Quæ cum ita sint (Adolescens præstantissime) deme terrarum Orbi hanc peccandi materiem, speciosa videlicet Natalium exordia, quæ etsi non habuit, tamen habere potuisse magnum est ad immodica desideria lenocinium.

IX.

IMmortali origine prognatam adoro artem medendi, tantumque in Deos non transcribo, qui cum cœca necessitate herbarum vi, succisque peregrinis colluctantur. Habeo tamen hodierna die, quod hujus sæculi Hippocratibus imponam, lentasque pharmacorum ambages, & noxiam opem devoveam. Tu interim, Juvenis ingenue, qui a Democriticis opinionibus ad Galeni dogmata provocas, vide, qua caligine jubar mentis involvas, conscientia veritatis reclamante. Etenim infelix Æger

Æger tabifica lue afflatus, quid quæso ab Empiricis consiliis impetrat, nisi ut longiori fato, ac diuturna morte torqueatur? Ardet aliquis furtivo venarum igne, labiisque perustis aquam frigidam deperit. Quo vultu tortor Minos perituro Tantalo vetat breve solatium, & medicina ipso morbo pejore lethale nutrit incendium? Audax quippe discrimine non suo gaudet sævo medendi genere apud vulgus divinæ artis famam aucupari, ut qui evadunt, sibi asciscat, quos perimit, naturæ tribuat infirmitati. Adeo blanda est (ut cum Plinio loquar) pro se sperandi cuique dulcedo, nulla præterea lex, quæ capitalem inscitiam puniat; discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, Medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. Cæterum ubi fœnoris libido animos titillat, non erubescunt radicibus nostri Orbis exotica vocabula imponere, vilesque cicutas aromatum precio illustratas miseris vendere. Quin etiam non modo confesso malo, & apertæ valetudini occurrunt, sed interdum spe lucri lactati ipsi malorum opinioni medentur. Magnus morbus esse incipit Medicum advocasse, dicique recte potest illud Martialis:

Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Sæpe etiam docta manu barbam demulcens Galenus aliquis dictat mille nominibus diræ potionis arcana, aut liquidis Erythræi baccis, ac pretioso unionum cadavere lethalem lactat in præcordiis humorem, adeout cum Pausania optimum vocare liceat Medicum, qui non sinit ægrotos putrescere, sed cito occidit. Hanc vero Artem,

hæc,

hæc, ut melius dicam, probra ab Apolline velut magiſtro ortum traxiſſe communis error fatebitur? Parce, Juvenis ornatiſſime, non audeo tuæ inſtitutionis candida præcepta, patriamque diſciplinam laceſſire. Scio quantum Domi tuæ cognata pietas, ſtudiumque Philoſophiæ profuerit. Satius tamen eſſet Democriticæ artis patrem Apollinem nuncupare, quæ nulla herbarum meritoria ope medetur. Etenim dùm magis æſtus ſanguinis coaleſcit, communi aquarum potu docuit non modo valetudinem, ſed & ipſam medicinam amari. Quinimmo adeo blandum eſt hoc medendi genus, ut morbum ipſum amplecti queamus delicati pharmaci amore, doleatque ægrotus, ſi cito febris diſſoluta evanuerit. Nec ego cæleſtem aquæ vim demiror; quippe frigidus humor, qui corrupta humanitate polluti Orbis ſordes lavit, monſtrante Deo, debuit etiam Microcoſmi purulentas ſordes detergere. Quid ergo juvat implicatis ambagibus viſcera torquere, cauſamque morbi non evertere, ſed creare? Simplex eſt mortalium natura, & habet ſpecula, per quæ cujus indiget, enunciet. Recede igitur ab Hippocratis ſuperſtitioſa doctrina, & tempora, quibus Romani ſine Medicis pancratice viguere, curſu felici remeabunt.

Extabant aliæ nonnullæ hujuſmodi lucubrationes; cum vero utilitatis parum in ſemetipſis haberent, cumque mira ſane juvenilis Auctoris ingenii fæcunditas ex allatis abunde conſtaret, eas omittere viſum nobis eſt, ne legentium judicio atque humanitate abuti nos velle crederemur.

LI-

LIBRI IIII.

PARS SECUNDA

EPISTOLAS CONTINENS.

LUDOVICUS SERGARDIUS

ANGELO VENTURI S. P. D.

I.

ACcepi literas ſcriptas humaniſſime, & ſiquid in Monialium negotio valuit opera mea, debes in mercedis potius, quam beneficii loco numerare, cum tuæ auctoritatis ſit exigere, non rogare.

Jam puto te Gallicum labyrinthum, cui debebatur, reddidiſſe; nec amplius in poſterum mirari debes, ſi litteræ cuilibet, nedum epiſtolæ, Cloridis nomen tacite inhæreat, cum illa ſit, quam in primis amamus, caramque præ ceteris rebus habemus. Ut credo in illis viarum ambagibus implicabitur Cloridis animus, & gratiſſimo errore captivus, fruſtra licium ab amore impetrabit! Ego librum hunc ab Jeſuita, qui Lutetiis Romam venerat, emi quanti plurimi; novit enim ſagax hirudo genium, quem habebam illum in amatæ do-

num

num convertendi; & propterea in amoris mei pœnam, & solatium propriæ avaritiæ majus pretium læsione turpissima extorsit. Vicaria ista dignitas, cujus munus Germanus implet absque Bullarum expeditione, non satis arridet. Vos quoque de Lamiarum genere etiam atque etiam cavere moneo a subdola Sirenum voce: scitis enim, quam facile canora pernicies in animum irrepat, & Ulyssis cera diuturnitate temporis corrupta, vereor, ne bibulis auribus dulce periculum hauriatis. Gratulor de Homuncionis laude ab audientium corona merito exacta; nec compendium illud viri, seu turpis hùmanitatis appendix, ullam unquam in hoc pectore zelotipiæ scintillam excitabit, si sapiens est Cloris, si non est mihi mendax speculum.

Caput meum, sive, ut melius dicam, cucurbita, tam varia rerum imagine quotidie saginatur, ut quidquid scribere cogitavi momento eodem oblivіscatur. Rogo te, ut hanc infirmitatem meam excusare velis, eodemque contextu tibi gratias ago, quod de emendis Florentiæ libris divinasti, indicium cognatæ voluntatis, mutuique animi, qui inter amicos esse solet, ac debet. Hi, ut primum acceperis, fac ut quam citissime ad me perveniant.

Puerile Epigrammatis pensum, quod Academiæ solvi, nil habet boni præter ingenuam verborum simplicitatem, qua maxime sub hoc cælo delector, quamque magis in meo Poemate miraberis, cum primum ero aliquid otii nactus. Cum dixi simplicitate gaudere, ne credas ad pedestrem stylum fatua permutatione descendisse, sed relegata tantummodo vana ac barbara metaphorarum con-

congerie, utor candido ſimul nobilique ſermone, & delicata Pallade amantiſſime fruor.

Pudet quotidie de ſalace Jovis filia tot ludibria audire, neque ab Illius cerebro ortam putabo, cum nihil genitoris habeat præter effrænam libidinem; ſi unquam Senenſe Cælum halitu venereo purgabit, comparabo abeunti viaticum, Luiſioque ephippia.

Cæterum mei amoris natalis dies, quem inter nefaſtos ſcribere debebam, feſtivis epulis celebravi; & cum poteram præteriti doloris ſecura recordatione frui, magis placuit vulnus, quam cicatrix. Verum (timeo adhuc omen) hac ipſa die, hac eadem hora, qua duobus ab hinc annis Cloridis ocelli non recuſantem ceperunt, Tranſtiberina Puella me furtivo obtutu pupugit; ſcio quam fatalis hic dies meo cordi illuceſcat, propterea cupidinis telum cæteroqui ignobile tam impavide repuli, ut ne cuticulam quidem genialis mucro libaverit.

Certiorem te velim, apud Abbatem Gori tanti eſſe ponderis exiſtimationem tuam, ut quotidie de tuis meritis non vulgari commendatione loquatur. Vereor, ne fatis noſtræ felicitati conniventibus dulci officiorum pugna certandum ſit, uter tua familiari conſuetudine frui debeat. Pro me ſtabit arcanorum ſacramentum, quo nullum habet arctius vinculum neceſſitudo; pro illo ætas, ac dignitas.

De Urbe Roma nil tibi novi afferam præter ambitus, rapinas, cædes &c., quæ tamen nova dici minime poſſunt. Vale, & ſi interdum literas meas pluſquam negocium expectat prolixas accipies, excuſatum habe innocentem calamum; facit enim

non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistolas. Vale.

Romæ XVII. Calendas Augusti 1685.

EIDEM.

II.

GRatulor te pium fuisse victorem non sine mercede, dum pro causa potiori stares, & velim ita tibi persuadeas nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non sit carior, quam meæ res omnes. Nevosolii cruenta clades dum per ora vulgi jactatur, hic quoque ansam dedit ridiculæ fabellæ; inter cætera, quidam e tunicato popello a me avidissime percontatus est, quam pulchra sit famosa ista pellex Naisella, quam Cæsarei milites ab Ottomanna libidine vindicarunt? Quando Romam peteret, ut lustralibus undis piaretur? Quo gynæceo Pontifex educandam includeret? Hæc Plebs ignara. Fœminæ, ceterique pii, ac meticulosi animi per delubra passim devoluti ipsa Altaria gratiarum actione fatigant. Juvenes, quique vividiori sanguine luxuriant, sero dolent ab hac pugna abfuisse, & albo in otio feriati somniant cædes, & arma male consona illorum libidini; qui vero fortunæ pertinacia vexantur, impio voto Numinibus irascuntur, quod pro Fidelium copiis militaverint. Quæ, inquiunt, vis in posterum nos ab his fordibus, ab hac tyrannide poterit eripere, si vindex Turcarum acinacis hebetatur? Jam Hunni, Vandali, Gotique, soliti captivæ Italiæ inju-

rias

rias ulcisci, tam longe recesserunt, ut vix nudum nomen ad hæc tempora pervenerit. Jam sileo, quæ papyro credi non possunt.

Vix crederem, nisi testis esses, non tangere principes animos tam felix nuncium, cum præcipue deberent in communi solatio non vulgari lætitiæ indulgere; sed qui virtuti, non fortunæ debet regalia insignia, dedignatur plaudere fortis munere partæ victoriæ.

Doleo de nostra Academia male audire; nil tamen miror exoletum illum cupidinem tam insipidas preces Virgini obtulisse; miror tamen, quod cum alter a Deipara Matre Annonam, alter victorias, alter pacem petere soleat, nullus sit, qui rem, qua maxime indigemus, cerebrum postulet.

Pandulphus non Senarum, sed Camulliæ genialis Tyrannus humanissime rogavit hunc inertem calamum, ut Cæsareis victoriis in futura Academia inserviret. Velim excusationes meas apud illum adornes colore, & eloquentia, spondendo operam meam, cum primum patriciæ nurus ad plectri modulamen accedent. Angele, non sum qui fueram; Fori jurgia cum Pimplæ concentibus male conveniunt: adde, quod tædet amplius audire stultum hoc vindictæ genus, quod calamo faciunt otiosi Palladis milites; sat est, quod infelix hostis expiraverit in Campo, quid illum iterum cupitis vivaci morte in chartis perire? Olim & ego gloriæ nomine lactatus sæpius ad Bizantii mœnia digladiabar, & dulce erat in consortio Musarum Thracem jugulare; sed cum ad annos adolescentiæ invitos oculos retorqueo, pugnæ vanitatem damno, quæ potius cum prava mentis cupidine, quam cum Gelonis, Odrysiisque dimicare debuerat.

Spurius ipse Princeps, qui, ut refers, familiari utitur meæ Cloridis consuetudine, peribit profecto, si patrios unquam remeabo victor ad Argos.

Si quid agam quæris æstivis horis, scias mei vultus imaginem in tela expressisse.' Pulchrum! inquies; male tibi sit; ita facit, qui inemptum artificem secum habet: sed quæso audi, quibus lineamentis, quo aulico colore me ipsum animavi. Finxi studiosum Juvenem in Bibliotheca prope scamnum, ubi sacræ Rotæ decisiones ad manum cernuntur; ex altera parte fenestra aperitur, a qua D. Petri templum, quantum quantum est, apprime videri potest: porrigitur a latere vario Librorum genere stipatus abacus, a quo Protogeni Zeuxique sacra otiosa cum calamis pendet Tabella. Cæterum legales scripturas cum amorum epistolis, sacros Codices cum Martiale pulchra mixtura junctos passim aspicies; sed præcipue Cloridis armillam utpote rem non perituræ memoriæ non ultimo loco pictam miraberis. Opus cum primum absolutum fuerit, Senas mittam, ut Dominorum, Sodalium, ac etiam amantium oculos impleat expectata forsan Imagine. Vale.

Romæ III. Nonas Septembris 1685.

EI-

E I D E M.

III.

PEregrina fides annuli, qui ad manus non fuit, cum literas Tabellario tradidi, a constituto me recedere coegit, tibi immeritos creavit timores; nunc, quod superest, formidini tuæ gratias ago, quæ de tua in meis rebus sollicitudine in diem certiorem facit.

Hæc e re mea; addam nunc e re tua. Primo veniam posco, & spero ab humanitate tua, quod in Aula asciticiæ majestatis nimium jactavi potentiam meam, suffususque pudore genas ex animo legibus acquiesco, quibus me jubes per posticum Regiam subire, laudoque simul benevolentiam tuam, quæ amicum ab ineunte ætate his officiis assuetum noluisti ignotis oneribus gravare. Præterea si unquam nimis procax violavi ingenuam tuam Eubææ Reginam, vindicabo imposterum laudibus illius famam, cujus antea nitores indebita ignominia violaveram. Audi pœnitentiæ fructum: *Succi plena est Diva tua; vultum habet minime oblongum &c.*

Non miror pullas bonorum parasitas hæreditatum crapula quotidie saginari, miror sane stolidam vestram patientiam, quæ nondum tot illustrium Civitatum mota exemplo pestem hanc urbanam, domesticam illuvionem non arceat a tectis, a Penatibus, a cubilibus. Si flumen spes anni populari aggrederetur, nonne fontis trabibus, ag-

[illegible] impetum cohibere festinaretis? intra [illegible] [illegible]rarum Ædium niger torrens irrumpit, [illegible] [illegible]pit, vos interim siderati tacetis.

. . . . . . *rapidus montano vertice torrens*
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas. Stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice Pastor.

Illi utuntur jure suo, fatui quibus imponunt.

Gratulor imberbi Piccolominei Senatus Consultori, qui Patres conscriptos tam apte, tam facile in sententiam suam pellexit; equidem Cicero hisce temporibus non quereretur tot Respublicas clarissimas interiisse, *quia*, ut ait, *veniebant Oratores novi inconsulti adolescentes*; dum videret in hac menti lanugine præcocis prudentiæ canos. Consilium hoc illi haud absimile videtur, quod genitor, ni fallor, Ædiculæ meæ nostri Gubernatoris Serenissimo Patruo dedit in venatione: *Comedere, & hinc migrare.*

Cæterum optima fruor valetudine, brevique Ariciæ rurales delicias, Tusculanos Colles, Sabinæ recessus petam; tu interim calamo ne parcas, venient ad me literæ tuæ, meæque ad te veluti Romæ adessem, nolo ullo pacto, ut hoc nostrum eruditum, facetumque commercium dirimatur. Vale, & a valetudine tua meam pendere certo certius habe.

Romæ VIII. Kal. Octobris 1685.

EI-

EIDEM.

IV.

MIhi quoque risum movet, non zelotypiam redu-cis Crispuli adventus, sed hujus calami querelæ tam graves, amice, altius emanant. Turbo Romani aquilonis non ex humili loco discessit ad perniciem mei viridarii. Nondum vides? Nondum audis? Perflat e Vaticano, mihique in Clodii amoribus exitium minitatur. Ah Lusciniæ Penates! ah Lares infidi!

Si Patriæ Magistratus substitutionem illam facere unquam decernit, me quæso conscriptis Patribus approba, vires lauda.

Præterea gratias tibi ago, quod certiorem fecisti de his, quæ Senis acta sunt; habeo tamen, quod tuæ credulitati exprobrem, meamque innocentiam excusem. Crispulus ille (alter esse non potuit) si de me sinistra sparsit in vulgum, sane nil aliud dixit, præter me picturæ addictum. Tota meorum facinorum materies in hac virtute versatur. Hæc est nostri criminis series. Æstivis horis, quibus ad studium incumbere nemini datur, Ludovicus (Juvenis cæteroque gentilis, Matronis charus, amicorum delicium) telam coloribus imbuit, oculisque amabile mendacium disponit. O te ineptum, si ludicris hisce accusationibus moveris! Insudent legibus nocte diuque, & quibuslibet anni temporibus, qui ab avara natura curtum ingenium acceperunt: ast ego (ab-

gnomento) nos comiter expectabat, & ipse noster familiaris, potens sermone, animo candidus. Aderat cum illo quidam nomine Peresius, homo viridis senectæ, Musisque præ ceteris dilectus, & qui dissipata hæreditate tam constanti vultu fortunam despicit, ut illa major videatur. Descendimus una, quo festiva cohors vites dulcissimo fructu viduabat. Cum vineæ Dominus discerptis aliquibus uvæ racemis, proximæ Puellæ vultum fricavit, perfricavit, donec mustum per collum diffueret. Expectabam attonito similis, ut Puella non perfunctorie irasceretur tam insolenti ludo pulsata. Nihil illa; ridet; gratias agit. Mirabar equidem: Accessit ad aures Tiberius. Quid cessas? inquit. Mos, imo lex est fœminas, quæ ad tale officium accedunt, liquore perfundere. Nil ultra verborum. Puellæ, quæ mihi proximior erat, os, genasque lino, perlino; mox cæteras petii. Interim illæ audaciores factæ nos quoque petulanter invadunt, tenent, multo facies, comasque dehonestant. Hoc ludicro prælio consumpto mane, audimus Peresium, qui nos ad mensam alta claraque voce urgebat. Properamus. Milvius sumpto igne, & fasciculo lignorum, operam date, ait, Juvenes fortissimi, thesaurus eruendus est. Dixit, & in aggere terræ, quæ paulum supra solum eminebat, flammam excitat, ligonem arripit, effodit ad cubiti unius altitudinem, cadumque optimi vini, nescio quo consule diffusi, reperimus. Sed dum Bacchum e tumulo eripit, parum abfuit, quin liquor nectare suavior ab ore diotæ protinus apertæ non effueret; tandem inter

ter

ter labores, & anhelitus dulce pondus mensæ admovimus. Interrogo auctorem, quid sibi vellet cum vino ignis, terra, ligo? An esset religio aliqua piandi villicos manes? Minime, inquit: sed quando Ruri deficiunt nives, humatur amphora, & accensa flamma, particulæ frigoris, quæ in illis glebis reperiuntur, dum fugiunt timore contrarii elementi, se constipant, & vinum maxime refrigerant. Interim Peresius sub mori umbra triclinium adornaverat: erat pro mensa fractum dolium, pro sellis corbes ruptis viminibus inutiles. Accumbimus. Descendit Peresius e culina, sordida mappa circumdatus, lætus, rubicundus, mensamque rusticam non rustico ferculo oneravit: quippe fumavit ante oculos pulmentum pane, brassicis, carne, petasone, malisque cydoniis apt s- sime concinnatum. Peresius sapiens coquus dapem condiverat. Mox artocrea, pulli gallinacei, indici, omnisque generis deliciæ frustra expletam jam famem irritarunt: tamen, quod potui, fumo, & suavi odore crudo stomacho litavi. Surrexi tandem e mensa, & culinam ascendi, ut tam bonam officinam viderem, eique tam bene habitus venter gratias ageret. Erat sane bene instructa, & ultra villæ simplicitatem; atque iterum ad geniale sympofium quasi videbatur invitare. Sed, dum omnia circum perlustro, de reditu moneor. Nam inter hæc aderat Roma cisius alter, alter equus: gratias agimus Ruris domino, Peresioque; agilem currum oneramus, & tam cito Romam contendimus, ut viam devorasse putares. Nondum nox erat; itaque mediam fere Urbem, ut Juvenum mos est, currendo lu-

stra-

ſtravimus, donec tenebræ domum petere nos coegerunt. Habes, amice, vindemiæ exemplar. Utere, ſi libet, nec ingratum fateberis, præcipue ſi ad vindemiam nuptæ Puellæque minime inhumanæ accedant. Lude. Cave tamen, ne tibi mulierum petulcæ manus crinem, aut veſtes muſto inficiant. Experto crede. Vix domum me recepi, cum jubeo accedere Tonſorem; nam coma rigebat non uvis madida, ſed veluti pice, viſcoque conglutinata; itaque barbarus carnifex mearum illecebrarum forfice capillos amputavit, ut nudo occipitio pene videar ad triremes damnatum mancipium. De veſtibus nil addo. Judæus fullo protinus advocatus pronunciavit imparem eſſe totum Tiberim ad maculas obliterandas. Dii te perdant, nec tibi proſint, dixi, tua ſabbatha recutitum animal: hæc inter utraque manu carpo, diſcerpo pollutam togam, fruſtulaque in os olidum Judæi vehementer impingo. Fugit ille. Ego ſileo. Vale, & tu quoque importunam epiſtolam utraque manu diſcerpe.

Romæ pridie Kal. Octobr. 1685.

PHILIPPO EVANGELISTÆ.

V.

IN limine naſcentis Anni reddita mihi eſt epiſtola tua, quæ apud Tabellarium duobus fere Menſibus placidiſſime obdormivit. Neſcio, an hunc veternum famuli negligentia lactaverit, mea pa-

parum curando; an potius fortunæ consilio acciderit, quæ res preciosas voluit longo desiderio præparari. Utcunque literas tuas officiorum plenas accepi, & quidem Gallico stylo exaratas, sermone videlicet mihi barbaro, cujus prima elementa vix olim summo ore delibavi; adeo tamen ignotis illis characteribus emicuit humanitas tua, ut mihi pene videretur tabellas perlegere non peregrino idiomate, sed familiari Cloridis pollice scriptas, & notissimis verbis refertas. Propterea non vulgares ago tibi gratias, rogoque te per amicitiæ genium, ut imposterum literas tuas opportunis rudimentis imbuere velis, ne audeant tamdiu nostræ expectationis dispendio in diversoriis cessare, aut brevi in itinere tantum temporis inutiliter absumere. Cæterum autumnalibus feriis albo in otio supinus, Nimphisque Aricinis carus, diu litavi ingenuæ voluptati; mox Romam advectus iterum cerno misera Clientum obsequia, Forique venales clamores iterum cogor audire. Tu vero Patriæ illecebris captus, frustra, ut video blandissimis pedicis animum vindicare conaris, forsan & genialis Puellæ amore irretitus rides Togæ dignitatem, dominæque Urbis fastidia. Si vera hæc sunt, fac ut certior fiam; sin minus delector errore meo, brevique te reducem spero. Vale.

Romæ Cal. Januar. 1686.

TI-

TIBERIO PROSPERI.

VI.

QUantum me quoque tædeat inanium officiorum, ab epiſtolis meis accipies, quæ nullo ſæculi fuco erunt imbutæ, ſed ſimplices facileſque, quales amicitiæ genio conveniunt. Non eſt meum deſcendere ad verba imaginariæ ſervitutis, & per alternas blanditias ſpecioſe mentiri; legem iſtam ſcribendi adulatoribus *ſervo pecori* relinquo; mihi antiquum eſt candidis verbis animum nudare, & ingenuum ſanguinem, quem a Parentibus accepi, nulla Aulicorum nota corrumpere. Audio itaque mutatis ad celeritatem Equis te feliciſſime Penates attigiſſe, quodque deeſt exactæ itineris narrationi, proximis tabellis opperior. Tangunt præterea me quoque gratantis erga te Patriæ ſalutationes, Ruriſque delicias cum humaniſſimo Præſule delibandas ſinceras auſpicor: modo liceat ab animo tuo non rediturae voluptatis memoriam obliterare, quæ præterita gaudia non revocat, & præſentia ſolet jugulare mœrore nil profuturo. At tu (ut opinor) jamdiu axpectas aliquid audire de Gynæceo Apollinis Aræ contermino, & forſan me puellaribus lenociniis perditum ſuſpiras. Falleris Amice; poſt tuum ab Urbe diſceſſum non ſum qui fueram.

Adeſt Romæ Mantuæ Dux, venditor ille pacis Italiæ, & Advenæ quamplurimi, & præterea peregrinæ nonnullæ e Scotia Matronæ, quæ ſtudio videndi do-

me-

meſtica hæc miracula ad Urbem acceſſerunt. Quæris quam pulchræ ſint? Non ſatis ad Latii guſtum; ſed habet neſcio quid lenocinii barbara illarum venuſtas, vultuſque neglecta formoſitas, & veſtium inſolentia ad ſpeculi cenſuram parum lævigata ipſa novitate delectat. Omitto reliqua ſtudio brevitatis, ne in immenſum creſcat epiſtola. Tu interim vale, & paternis Laribus feriatam cuticulam memento curare.

Romæ 3. *Non. April.* 1686.

EIDEM.

VII.

SAlutares næniæ, quibus pendenti in cruce Chriſto hiſce diebus parentavi, me mihi reſtituerunt, calamum exarmarunt, mentemque perditam ſanioribus conſiliis imbuerunt. Jam in ſcenam ſatyrus prodierat, ævique contagia puro ſale piabat, tamque concinne familiares meos pupugerat, ut ipſa placere poſſet infamia. Sed cum turpe duxiſſem per domeſtica probra graſſari, ut alieno rubore mihi famam compararem; diſcerpſi invidioſum carmen, & mordacem muſam non ſine dolore latrinæ damnavi; attamen memoriæ ſubeunt nonnulla de Comite noſtro, quorum te inſcium nolo. Dicebam itaque poſt varia:

Sunt

Sunt mihi (fintque precor, flavum dum transfuga Tibrim
Ore bibo) focii duo, quorum pinguior alter
Nocte dieque preces vibrat, Cœlumque fatigat;
Increpat & famulum, media fi forte fubura
Ambulet, aut quatiat damnofum dextra fritillum;
Et jubet immeritas clavo punire feneftras,
Blandula vicini fi rifit molle puella.
Crimen verba putat, fi quæ male lubrica labro
Exciderint: fefe manibus contingere nudum
Nunquam audet, nunquam, fi prurit, fcalpere clunem.

Cætera fileo, quippe aculeis plena.

Viridarium, ubi fine dumis rofæ guttifque nectaris madidæ educantur, unum ex Hefperidum hortis impofterum putabo, cujus cuftodiæ immanis vigilet draco, non poftes laxet genialis amica. Scio quam facili meatu tenera ifta peftis in præcordia fenfim defcendat, totumque hominem depopuletur; quapropter ejufmodi illecebris, & tam fplendidæ luxuriæ valedixi, mihique jucundius vifum eft potuiffe de opulentiffima præda triumphare, quam triumphaffe: fiquidem hoc ingens erit pofteritati fortitudinis noftræ argumentum, illud infirmitatis fuiffet.

Poft varios cafus, poft tot difcrimina rerum ad Norinam redeo, Norinam toties ab animo ejectam, toties repetitam. Heri vefpere fub noctem ad Gynæceum accedo, januam percutio. Ecce tibi puella cum candelabro (ignis fcilicet cum igne) fores referat. Ingredior. Stabat illa fola, & inornata. Erubuit, doluitque fimul pulfantem temere admififfe. Ego vero, inquam, pudori tuo pluf-

quam

quam libenter parco; dictoque citius discessi. Equidem placuit in secreto mentis magnanimum hoc vindictæ genus, qua injuriam miscens beneficio eam reliqui. Dabit profecto non virtuti meæ, sed turpitudini suæ, hanc amatoris rusticitatem. Vix Apollinis Ædes prætericram, cum in Alexandram, Claudiam, & importunam semper Antoniam offendo. Rogant ut retrocedam. Morem gero. Subeo tectum, Norinamque frigidam, exanguem, nec amplius illecebris suis fidentem invenio. Amice, vix potui erumpentes cachinnos temperare, magisque hoc facto delector, quam si a mille puellis adamarer. Nimium est sordida voluptas, quam communem cum animantibus habemus. Homines digna hominibus semper agamus.

Ceterum de apophoretis xeniisque Gynæceo redditis certiorem te facient exoptati Claudiæ pugillares, quos per famulum nuper mihi adduci jussi, ut suspicionem, siquæ esset, characteribus meis delerem.

Exciderat profecto tui calami desidiam non perfunctorie objurgare, qua Patruum tuum flocci facis. Vide, quantum rebus tuis obsit injustum hoc silentium. Diis malis, ne noceant, litandum. Vale, & me ama.

Romæ XV. Cal. Aprilis 1686.

EI-

EIDEM.

VIII.

DEsuetum calamum iterum accipio; non enim decet vulgari ſtilo exarare, quæ tibi narrabo. Fortuna ad pœnitentiam adacta riſit aliquando fatorum promiſſa clementia, ac tot tantiſque exquiſitis illecebris non expectantem cumulavit, ut pectus incapax redundet. Audi, quæſo. Viridarium aſſidua cultura paratum, & tepido lachrymarum imbre irrigatum immaturo adhuc fructu germinavit in flores. Ceruſſata Matrona carminibus delectata, quibus illius formam palpavi officioſe mendax, deperit eruditum amatorem, & vibrantibus oculis modeſtiam meam accuſat. Amica nimium genialis, amica alienis gaudiis addicta, & propriis affectibus irretita modo amoris, modo amicitiæ perſonam inducit, & utriuſque leges caro quodam conjugio, & amabilis mixturæ fœdere confundit. Norina ignara fraudis puella lachrymulis meis pellecta iterum patitur ſe deludi, donoque elegantis Catellæ redemptis amoribus cœpit manſueſcere. Amice, quid amplius exoptem ignoro, ſola me torquet cogitatio nil amplius optare poſſe; nam inter voluptates eſt ſupereſſe quod ſperes. Gaudeo tamen tam pulchra calamitate, cum hac parte miſer eſſe feliciſſimus quiſque cogatur. Interim ſi quid agam quæris? Scias me quotidie cum Muſis verſari, & nudis Pimplæ virginibus uſque ad invidiam frui. Epiſtolas, ami-

amice, nonnisi Castalio liquore conscribo: si quid interim accidit viridario meo, Apollini commendo, & singulas nugas carminibus celebrando ab jure mortis vindico. Præterea in gratiam præstiti officii, & singularium erga me meritorum adhortatus sum tabellam pingere futurum amicæ donum, pretiumque nobilis amoris. Nec desii tela exanimi, mutisque coloribus amores meos exprimere, ut conciliatrix pictura mitiget animum non satis facilis Puellæ. Finxi itaque divinum amorem tenerrimum infantem florido in horto consedisse: rident hinc mixta rosis ligustra, illinc trepidi fontes, purusque cœli tractus tranquillo ambitu universam regionem amplectitur. Tiberi, sic pereunt mihi dies, & hujusmodi in otio feriatus tempus tero, quod in solidioris sapientiæ, ac veræ Philosophiæ acquisitione impendere deberem. Fluxere viridiores anni, & de tot dierum cumulo sola, & inutilis superest pœnitentia virtutem neglexisse.

Cæterum Advocatus noster elapsis proxime diebus Florentinum famulum domi susceperat, qui non tam Patriæ genio, quam vultu imberbi, cultaque cæsarie Cinædus videri poterat. Erat quidem haud obscuris natalibus ortus, apertæ frontis, blandus, elegans, adeo ut dominum citra crimen ad sui amorem pellexerit. Quid te moror? Nudius tertius sub noctem cum se domi recepisset Advocatus, admoto lumine, vacuum desertumque reperit cubiculum suum, quippe collectis vestium sarcinulis, nummisque ex proximo scrinio callidissime direptis aufugerat domesticus fur. Ita se habet flebilis historia. Nescio tamen, utrum magis meruerit istam cladem nimia erga adolescen-

tem

tem fide, an potius ſpoliati Clientes corraſam pecuniam per alienum crimen vindicaverint.

Porro Claudiam minime tui cepit oblivio, mandavitque Norinæ, ut fluxam labantemqne memoriam opportune excitaret, cum tempus ſcribendi adventabat. Scripſerit necne ignoro, ſed ſcripſiſſe arbitror. Vale.

Romæ, prid. Id. Jun. 1686.

DEFENDIO VECCHI

IX.

LOngo expectationis diſpendio tui calami eruditum pignus comparavi, ſed diuturnæ moræ damna tanto fœnore redemit urbanitas tua, ut non amplius doleam, ſed parum expectaſſe gaudeam diu exoptatas tabellas. Res ſive magnæ, ſive precioſæ in lucem lente progrediuntur, & feriari natura videtur, dum mirabiles ceteroqui partus molitur, ſic ego debueram potius præcox deſiderium meum accuſare, quam angi epiſtolæ tuæ immaturo adhuc munere. Debeo tamen ſingularem hanc gratiam liberali Pontifici, qui Purpuras per univerſum Orbem diffudit, debeo victrici Cæſaris dextræ, quæ Sicambriam inaudito robore expugnavit: hæc gemina togæ, ſagique prodigia ſtilum tuum ſollicitarunt, qui non debuerat niſi publica cauſa moveri.

Cæterum hiſce diebus viſa eſt Roma ſenium deponere, novaque tanti gaudii juventa geſtire.

Non Forum Clientes, non ætas senes, non pudor fœminas cohibuit, quin Penatibus erumperent more furentium, viasque populorum unda impleret. Tota Roma hærebat in vultu designatorum Procerum; quaque currus præteribant, festivæ voces, plaususque collisarum manuum audiebantur. Præterea studio videndi Eminentiss. Colloredum universus popellus coierat, inopesque fœminæ passim ante limina domorum distributæ adduxerant infantes suos, eisque porrecto digito Patronum suum, ac Patrem amantissimum demonstrabant. Ille obtutus dividere recenti majestate graves, plaudentibus modeste connivere, annuere, salutare. Et quoniam de Colloredo mentio incidit, scias Bergomicensis Abbatiæ redditus jamdiu locasse nescio cui Mercatori Turris Sanguineæ, nec mihi integrum fuisse operam tuam tanto Viro commendare, tibique, ut vehementer exopto, totis viribus famulari.

Verum, quam egregie falleris, amice, dum me credis studio Aulæ implicitum, & adventu Medicei Principis exultantem! Non est meum libero animo injuriam facere, & ingenuum sanguinem, quem a Parentibus accepi, servili turpitudine corrumpere. At, inquies, pulchrum est naturali Domino, & quidem optimo inservire. Sit, non inficior. Melius tamen est vacare sibi, genioque amicorum. Dum libertas amittitur, parvi interest, calibs ne, an aurum fluat in catenas. Splendida Heri dignitas non adimit, sed nobiliores facit famuli miserias, titulique, ac nominis fucus nonnisi specioso errore nobis imponit. Valeat igitur Aula licet auro, gemmisque superba; non est tanti, ut animi mei tranquillam pacem plerunque

hoc

hoc pretio vendam. Quid juvat inanis gratiæ, & bractætæ felicitatis lucrum facere, si bonarum artium culturam negligere, si quietem, & amicorum commercia amittere cogor infelix decoctor? Quamquam, amice, nobilior cura me tangit: regnare videlicet, non servire aggredior. Habeo domesticam aulam in secreto mentis recessu, ubi effrænæ cupiditates, ac rebelles affectus quotidie insurgunt, dominamque rationem corrupta voluntate tantum e solio non deturbant, fremunt undique vitia contumaci seditione, & breve hujus vitæ tempus inter amoris odiique vesanas vices discerpunt. Hæc itaque suscipienda nobis est provincia, pacatoque hoste nimium familiari inter socias virtutes regnandum. Dabis igitur, ut spero, honestæ meæ temeritati veniam, si per limina Procerum meritoriam salutationem circumferre recuso, & pulchram hinc servitii ignominiam detrecto.

Brevi Ariciam petam autumnales Ferias celebraturus inter Chisiæ fortunæ monumenta, & genialis Cæli amænissimas delicias. Tu interim vale, & si me optime valere cupis, frequentius scribe.

Romæ III. Non. Octob. 1686.

D. I. I. C.

X.

INter Latii rudera, quæ frequentius ſtudio antiquitatis perluſtro, calamum inveni morſu rubiginis exeſum; ſtylum, non dexteram accuſa, ſi latine ſcribens parum latine ſcribam. Quæris, quid petam? Neſcio. Albo in otio feriatus dum cuticulam omni pulmentorum genere extendo, geniales tuos cachinnos identidem recolo, animumque ad perſolvendum officium impellunt. Ut valet religioſæ noſtræ Familiæ Laicus? Ut paſcit jure barbam? De Africano nil loquor, qui vafer callidusque, dum Numina deprecatur, hominibus imponit; potius me tangit ſollicitudo Tittæ pueruli noſtri, dignique mammam lallare: quæſo illum iterum atque iterum cavere jube a ſcortillis obolariis, alioquin vereor, ne gallica tabe recutitus Sabbathorum Religioni accedat laſcivus apoſtata. Cæterum Aricinæ Deæ hactenus non inviſum pernox alea me tenet, in lucem ſterto, menſam onerant lances invidiæ capaces, nullaque demum elabitur hora, quam ſpecioſæ libidini non litem; adeo ut cum Venuſino dicere audeam:

. . . . . . mihi jam non Regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

Verum inter lautiores cupedias ſatur, cruduſque, quis crederet? Ollulæ noſtræ parcam ſaginam

nam suspiro. Modesta sunt naturæ desideria, frugique cibo sedantur; & ultra Phasim petitis alitibus vesci non est ventrem pascere, sed vitia. Præterea pulchrum est, & mihi sapit post prandium (ut sæpius nobis accidit) in trutina suspendere prima capita, Procerumque ineptias inter domestica pocula traducere.

Vos, o Patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

Vivite ergo quotquot estis privatis Laribus feliciores, & dempta mappa poscite saltem absentem Contubernalem Lucilii sale mordere. Vale

Ariciæ XV. Cal. Octob. 1686.

VICTORI FELICI COUCCIO.

XI.

Desunt fortasse plura.

. . . .

. . . . Antonius Godellus Viennensis Episcopus, Jacobus Syrmundus, & Petavius Jesuitæ, Morinus Presbyter, Launoyus Sorbonæ Doctor, cæterique Catholici viri, qui doctissimis elucubrationibus spurio Dionysio personam detraxerunt. Equidem temperare, amice, non possum dolorem meum, quin sæpius erumpat in justos gemitus licet nil profutura indignatione. Quæ profecto fides historici Scriptoris, & quidem Christiani,

officiosa ignorantia veritati detrahere, atque eruditæ Posteritati tam solemniter imponere? Quodque pejus est, qui mos religionis munimine mendacia ipsa vallare, ut ab illis dissentiri apertæ perfidiæ crimen sit, & Luteranismi confessa tabes? sciolos appellet de Dionysio dubitantes, non inficior; nescio tamen, quo cachinno excepturi sint posteri tam audax de doctissimis Viris judicium, qui Areopagitica repudiarunt; at illud ferendum non puto injuria affici aliud ab ipso sentientes, statimque Lutheranos appellari, ac si quidquid sentit Bellarminus, tanquam fidei præceptum e Cathedra definitum omnes Catholici amplecti deberemus. Finem denique huic articulo faciam; te interim, amice, persuasum vellem, me nulla neque Dionysii, neque Bellarmini invidia laborare; solum doleo primum in scenam personatum prodire voluisse, secundum studio magis, quam judicio interdum scripsisse.

Jam ad alteram epistolæ tuæ partem accedo, in qua Gratiæ, & arbitrii non speratam concordiam Apodum similitudine veluti arcano Ægyptio designatam perbelle ante oculos exposuisti. Multis tamen sentibus implicatum callem ingredi non satis audeo, satiusque existimo (ut optime doces) ab amore Dei sapientissimo rerum divinarum præceptore hæc ediscere, quam a scholæ auctoritate, sacrisque Patribus debile lumen veritatis, ac sæpe dubium, multaque caligine involutum, delibare. Vidi præterea in epistola tua, velut in armamentario pulchro ordine disposita sacræ Scripturæ tela, quibus Deus Ecclesiam suam munivit, ut modo Gratiæ inimicos, modo humani hostes Arbitrii acerrime confoderet; didici-

que

que inter se minime pugnare, cum ad diversa prælia diversis temporibus exantlanda ab æterna Dei præscientia jamdiu cusa fuerint, atque conflata. Verum nos, qui divinæ bonitatis munere neque Pelagiani sumus, neque Manichæi, aliis armis, sive alio vinculo indigere fatendum est, ut Gratiæ, & Arbitrii fœdus sancire possimus. Istud vero ligamen invenire res non solum laboris, sed periculi plena est, cum in hujusmodi controversiis illud plerumque evenire soleat, ut qui veritatis amore ductus gratiæ, liberique arbitrii concordiam profitetur, nec agnoscendo liberum arbitrium satisfaciat illis, qui ejus inane nomen putant, nec gratiam prædicando iis se probet, quibus sola arbitrii libertas utramque paginam facit. Nescio, utrum malignius peccet, qui divinæ Gratiæ vires, aut qui liberam animi voluntatem non agnoscit; quanquam enim ille Deo, hic homini sit injuriosus, tamen qui negat arbitrium, divinam Providentiam veluti suorum criminum ream accusare videtur, & dare animi morbo fatali quadam necessitate excusatam licentiam. Hæc dulcedo peccandi secura conscientia multos facit supernæ gratiæ laudatores, quique religiosiores apparent sub larva pietatis, audacius delinquunt, dum propria scelera Deo auctori adscribere non verentur. Fateor, amice, postquam D. Augustini Episc. contra Pelagium, ac de *Gratia, & libero Arbitrio* tractatum perlegi, postquam Arausicanæ Synodi decreta, & sanctissimorum Pontificum Innocentii, Zosimi, ac Cælestini rescripta mature pensavi, plenus impiæ fiduciæ turpitudines meas divinæ Gratiæ defectui imponere audebam, & officiosa nimis conscientia

con-

contrectabam vulnera naturæ, per quæ liberum Arbitrium periisse meis sceleribus fere gratulabar. Gaudebam ex Aug. cap. 3. Enchirid. audire „ *libero arbitrio male utens homo*, & *se perdidit*, „ & *ipsum*. *Nam cum libero peccaretur arbitrio*, „ *victore peccato amissum est* & *liberum arbitrium*„ & improba negligentia non modo sanari non petebam, sed & ipsum sanandi desiderium a divina bonitate oscitans expectabam, cum in cap. 4. Arausican. 2. didicissem „ *si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per S. Spiritus infusionem*, & *operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti:* PRÆPARATUR VOLUNTAS A DOMINO, & „ *Apostolo dicenti*, DEUS EST, QUI IN NOBIS OPERATUR ET VELLE, ET PERFICERE PRO BONA VOLUNTATE „. Equidem (si Catholica Fides, quam toto animo amplector, tantum fateri permittit) in hac de Gratia, & libero Arbitrio controversia, Cassiani, cæterorumque Massiliensium opinionem sequi tutius arbitrarer. Deme huic Sectæ audaciam asserendi nobis conferri gratiam propter merita naturæ, certe in ea parte, qua conatus bonæ voluntatis nostros esse affirmat, non utique dignam putarem Semipelagiani nominis ignominia. Etenim si Deus in nobis operatur & velle, quid agendum voluntati in homine relinquitur? Quæ libertas hominis dici queit, si ipsa voluntas sola radix libertatis aufertur? Nonne & liberum Arbitrium una cum divina Gratia salvatur, si dicamus ex Cassiani mente primos voluntatis conatus ab homine proficisci, qui mox accedente gratia corroborati Justitiam perficere inci-

cipiant? neque dicatur, quod hujusmodi gratia gratiæ nomen necessario admitteret, cum potius dicenda foret ipsius primæ voluntatis merces; nam exordia bonæ voluntatis sunt reliquiæ libertatis ab Adam vulneratæ, quæ per se nullam merentur gratiam, ipsa vero gratia, quæ perficit talia principia, semper meo judicio remanet, ut gratis data dicenda sit. Sicuti nemo sapiens auderet Principis liberalitatem imminuere, quod servo donum largiatur licet petenti, nec esse contenderet lachrymarum pretium, & debitam precibus mercedem. Itaque non video, cur hæc opinio improbanda sit, a qua nihil Deo, hominique detrahitur, imo inter gratiam, & liberum arbitrium tam aptum fœdus inducitur, ut homo neque possit justificationem suam naturæ viribus adscribere, neque Deum vesane traducere, si voluntatem ad recta opera non excitavit. Pendet enim a libero arbitrio voluntas operandi, a Dei gratia operari, quod credimus, nostrum est, quod autem bene operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum; alioqui servum omnino arbitrium fatendum esset, & Divinam Justitiam improbare liceret, quod cum in nostra potestate non sit velle salvari, sequeretur Deum homines injuste damnare. Neque hujus sententiæ pauca, & obscura testimonia apud SS. Patres reperio; siquidem D. Chrysostomus hom. 2. in Epist. 2. ad Corinthios inquit „ *Quamvis Deus erga nos misericordiam adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum est, ut misericordia dignos nos ipsos præstemus. Quamvis enim misericordia sit, dignos tamen requirit; non enim temere quibusvis obtingit etiam stupore laborantibus, nec se misericordia*

„ *ege-*

„ *egere ſentientibus* „. Ft idem in Pſalm. 120. A nobis itaque proficiſcuntur principia, & id ſitum eſt in noſtra poteſtate; cum ergo id in noſtra poteſtate ſitum ſit, quando volumus aliquid aſſequi, oportet nos quoque noſtra conferre, quæ ſunt pauca quidem, & vilia, ſunt tamen conferenda. Ita enim vult Deus non otioſos, nec dormitantes, non ſupinos, nec ſtertentes, ſed operantes, ac ſtudium, & diligentiam adhibentes ſervare. Idem hom. 42. ad Populum Antiochenum: *oportet*, inquit, *nos prius eligere bona*, *& ille ſua tunc inducit; noſtras non prævenit voluntates, ne noſtram temeret libertatem*. Neque ſolus hæc loquitur Chryſoſtomus; clariora etiam ſunt in hac ſententia D. Hieronymi verba initio lib. 3. contra Pelagianos: *Noſtrum eſt rogare*, *illius tribuere quod rogatur; noſtrum incipere*, *illius perficere; noſtrum offerre quod poſſumus*, *illius implere quod non poſſumus*. Et inferius eodem libro: *Ubi autem miſericordia*, *& gratia eſt*, *liberum ceſſat arbitrium*, *quod in eo tantum eſt*, *ut velimus*, *atque cupiamus*, *& placitis tribuamus aſſenſum*. In tam alta veritatis caligine video te, amice, ad Ægyptium arcanum convertere, & Apodum ſimilitudinem oculis meis iterum ingerere. Zephyrus enim leniter admurmurans, qui humi repentem alitem ad volandum invitat, gratia, inquis, eſt præveniens; neque hic auræ favor volandi libertatem adimit, cum etiam poſſit, ſi velit, ales non volare. Da quæſo veniam, amice, ingenii mei tenuitati; magnum agnoſco diſcrimen inter hæc ſpirantis zephyri lenocinia, & divinæ Gratiæ ineffabilem vim. Zephyrus enim non extollit jacentem volucrem conatu non ſuo, ac per

aerem

aerem impellit, nisi ipse volucris hoc sponte patiatur; verum divina Gratia nedum connivet voluntatibus nostris, sed ipsa bona voluntas, & principia fidei sunt illius effectus, & ab ipsa gratia proficiscuntur, tanquam causa totali, & efficiente, adeo ut humanæ naturæ tantummodo sit hunc divinæ lucis illapsum, nil tale cogitantibus animis, excipere. Manifesta sunt pro hac sententia Divi Augustini testimonia, & tot locis repetita, ut illa tibi referre optime scienti supervacuum foret, mihi labor inutilis. Adde Zosimi, & Cœlestini epistolas ad Episcopos Galliæ; adde crebras Arausicanæ Synodi Sanctiones, & præcipue Canonem 3., ubi *si quis per humanam invocationem dixerit gratiam Dei conferri, & non potius ipsam gratiam facere, ut a nobis invocetur, contradicit Isaiæ, vel Apostolo dicenti*, INVENTUS SUM A NON QUÆRENTIBUS ME, PALAM APPARUI HIS, QUI ME NON INTERROGABANT. Non est ergo, cur libero tantum superbiant arbitrio mortales, si voluntatem suam nequidem habent in potestate. Audi Augustinum celebrem illum divinæ Gratiæ Patronum in tom. 1. lib. 3. Retract. de liber. arbit. cap. 1.; audi quæso ab ipsomet, quo charactere insignis esse debet voluntas hominis, ut libera dici possit: *voluntas nostra*, inquit ille, *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus*. Quomodo igitur Innocentii, Zosimi, & Cœlestini epistolæ, quomodo Arausicanum Concilium nostram voluntatem in potestate Dei collocat, & hoc gratia effici contendit, si non est nobis liberum, quod in potestate non habemus? At inquies, licet Dei Gratia voluntatem in no-

bis,

bis, & ipsa bona opera operetur, ad salvandam arbitrii libertatem sat est, ut homo velle, & nolle malum in libera habeat potestate; ex quo etiam sequitur, ut juste a Deo coronetur qui malum respuerit, & juste etiam torqueatur, qui illud amplexus sit. O infelix humani arbitrii privilegium! o deterior ipsa servitute libertas; quæ velle bonum nequaquam potest, sed aut amplecti, aut respuere malum tantum habet in potestate!

Cæterum de Prædestinatione nullus mihi in præsenti erit sermo, dum in re tam gravi libentius disco, quam dico, ne dicere audeam quod nescio. Fateor itaque me tibi multum debere, quod mentis errorem in mensuranda æternitate temporum spatio opportune excussisti. Creatura nequit sapere nisi tempus; ideoque fluxa hæc dierum spatia audet comparare nil congrua proportione cum die illo æternitatis, qui non cedit crastino, neque succedit externo, nec ex futuro, quod non est, per præsens, quod spatio caret, transit in præteritum, quod nondum fuit. Hodiernus Dei dies ipsa æternitas est, & ideo coæternum genuit, cui dixit, *Ego hodie genui te* „ Quid ergo audemus temeraria ignorantia jactare; Deus salvare, aut damnare decrevit, si incapax præteriti, & nescius futuri omnia agit in præsenti? Sed hæc respectu Dei vera sunt, amice, si autem ad ipsas creaturas respicias, non utique videntur. Semper enim dici potest, talis creatura decem ab hinc annis nondum erat, & tamen decem ab hinc annis erat Deus; si erat Deus, certe præscivit talis creaturæ actiones, & si præscivit, prædestinavit, antequam illa nasceretur; dicendum igitur remanet dari tempus, in quo nondum erat

talis

talis creatura, & jam sancitum erat illius vel salutis, vel reprobationis decretum; ideoque istud nunc æternitatis, quod prædicas respectu Dei, cum spatio careat, erit immensurabile, respectu autem creaturæ mensurabile quidem erit, & fugitivis momentorum particulis distinguendum.

Præterea patienter fero amabiliter vapulare eo quod cum Tiberio nostro ausus sim de amore Divino tam jejune sentire, ut illum ordine nimium inverso intellectui præposuerim. Sed dignus sum venia, qui sæpius profani Cupidinis telo confossus nunquam divini sagittas expertus sum, nec a suavi vulnere ea mihi fluxerunt bona, quæ audio veris amatoribus largo ubere quotidie emanare. In hac mendaciorum schola a puero eruditus didiceram oculos esse in amore duces, nec unquam terrenam formam dilexi, nisi oculorum suffragio mihi antea probatam. Itaque eadem regula stulte Divina metiebar, Deumque satius intelligere, quam amare putabam, imo neque amari posse, nisi prius intelligeretur. Error hic, qui cum perditis moribus in animo meo hucusque adolevit, divinum amorem æterna sapientia plenum, ac cœlestem Magistrum noscere, & amplecti nunquam dedit, ex quo factum est, ut qui a sola cognitione Dei amorem expectabam, neque Deum cognoverim, neque amaverim.

In calce vero epistolæ tuæ mihi acceptissimæ, ubi mones non attingendas esse quæstiones sive de Fide, sive de Ecclesiæ auctoritate, nisi eas, quæ voluntatem accendunt, aut quæ ora veteratorum occludunt, nosco pietatem tuam, consilia non sequor. Vera est Fides, & Ecclesia deficere non potest; quid ergo dubitamus secretiora quæque scru-

ſcrutari, & ab ipſa noſtræ redemptionis origine monumenta repetere? Adde, quod Hæreticorum blaſphemiæ refelli non poſſunt, niſi ab illo, qui eorum libros accurate perlegerit, omneſque etiam periculoſæ curioſitatis quæſtiones ſedulo expenderit. Sed hoc raro accidit præcipue nobis ad Tiberim feriatis, qui ſtrenua ignorantia aliorum facta ſugillare conſuevimus, nec in partem diſcriminis advocamur. Attamen hoc ſtudium vel in otio Romano perutile exiſtimo ad quorumdam videlicet detegenda mendacia, & piam adulationem, qua ſe putant rudiores decipere, nec modicam mercedem reportare, ſi Eccleſiaſticæ poteſtatis plus æquo ſe jactent æſtimatores. Equidem, amice, pati non poſſum adulatores iſtos, ſervum pecus, qui meritoriis ineptiis revocant ad prima Fidei incunabula illam Eccleſiæ auctoritatem, quæ nonniſi longo temporis tractu in hunc ſplendorem coaluit, ipſumque Petrum adhuc alga ſordidum, ulvaque madidum ex Piſcatore Principem faciunt. Neque hoc pietati, & Religionis ſtudio, ſed occultæ avaritiæ tribuendum exiſtimo; major quippe Dei gloria eſt, & noſtræ Fidei clarius teſtimonium a tenui exordio, & ſæpe per damna ſenſim creviſſe hæc, quæ cernimus, Eccleſiæ faſtigia; quam ſi in ipſis incunabulis jam aucta incrementa omnia præcoci dignitate conſumpſiſſet. Verum, ſi Tiaras, & Infulas nonniſi hujuſmodi ſtudia largiri ſolent, etiam mihi placere incipiet hac mercede mentiri.

Poſtremo non deſinam officiis tuis multum deferre, quibus præviis virum humaniſſimum omni religione, ac doctrina imbutum, & politiori quacumque literatura non perfunctorie lævigatum

Car-

Cardinalem Petruccium cognosco, & amore etiam, quo possum, prosequor. Nescias, utrum in ejus animo major sit pietas, an doctrina, sed utrumque adeo rara, & amabili mixtura confundit, ut bonorum desiderium, malorum invidiam accendat.

Jamque vale, & negligentiam calami simul, atque inscitiam excusa, qua soles, urbanitate; dissimula quo debes silentio. Vale, & Tiberium nostrum etiam atque etiam meo nomine salvere jube.

Romæ VI. Id. Maii 1687.

TIBERIO PROSPERI

XII.

QUid de indole fratris tui sentiam, in præteritis accepisti; tuum est ceream ætatem fingere, & recens adhuc vas liquore virtutis perfundere. Utinam mihi quoque parvulus aula luderet Æneas; quantum eniti vellem, amice, in puero educando, quæque ipse aut parentum incuria peccavi in pueritiæ, & adolescentiæ meæ itinere, in illius vita emendare satagerem! Neque primos annos consilio meo fatigares sub ferula, & magistro in tradendis latinæ linguæ rudimentis; nam sæpe ætas illa tenera, & laboribus impar ab inamæno calle in ipso vestibulo deterretur. Optarem igitur, ut illi sub specie fabellarum, quarum pueri avidiores sunt, sacram Scripturam, uberemque Historiarum fontem lactanti-

bus adhuc labiis propinares, nec non eodem poculo dilueres quicquid erudita somniavit antiquitas, & Poetarum mendacia sapienter delirarunt. Ex quo illud evenire solet, ut quæ adulta ætate perraro, & nonnisi improbo labore perdiscimus, pueri nequidem cogitantes concipiant deinde vel cum invitis adolitura. Postmodum crescentes annos pulchro accenderem desiderio naturæ arcana scrutandi, cœlorumque motus, ac per Democriti, Lucretiique vestigia non sentientem impellerem, adeout ea ætate, qua cæteri adolescentes vix latina lingua pueriliter tincti e scholis prodire solent, vellem alumnus meus solidiori ornatu dives invidiam illis crearet, qui in partem eruditionis annos enumerant. Cum vero hoc sapientiæ lacte enutritus stimulos gloriæ sentire incipit, liberas habenas adolescenti relaxa. Nec dubites, in præceps illum delabi non sinet cognata pene sapientia, & amor virtutis cum puero enutritus; imo si fieri posset, ut honesta cupidine in egressu adolescentiæ accenderetur, non mediocriter, crede mihi, ad mores virtutemque conferret; quippe hæc humani cordis necessaria tyrannis, ut illis placeamus, quas vesane deperimus, mira quidem dictat, & alacrem animum ad maxima impellit. Hinc latinæ, & italicæ linguæ saporem, hinc Rethoricæ fontes, hinc carmina, hinc liberales artes mira celeritate perdisceret. Postmodum vanescente cum juventute hac utili cordium vanitate, plenum eruditionis & doctrinæ maturum animum, ac de voluptatibus severius judicantem ad prudentiam adducet. Tunc illum rerum divinarum sollicitudo, studiumque Religionis ab antiquæ superstitionis cultu ad nostræ Fidei my-

ste-

ſteria ſedulo examinanda per ingens, ac utile ſpatium aſſidue occupabit. Tunc quidquid Ethnici Theologi, quidquid Sancti Patres monumentis, ac literis commendarunt, ſolius veritatis cupidus in trutina ſuſpendet medius inter ſuperſtitionem, ac temeritatem. Vergente demum in ſenectutem virilitate, conſiliis magis quam ſtudio idoneus Magiſtratibus vacabit, filios nepoteſque inexpertam poſteritatem ſalubribus documentis imbuere gaudebit, ac Reipublicæ pene arbiter fatorum decreta expectabit ea mentis fiducia, quam facere ſolet intacta ſceleribus ætas, virtutiſque conſcientia.

Habes, amice, brevibus lineis circumſcriptum totius humanæ vitæ ſtadium, quod forſan prolixiori ſtylo exaratum tibi mittere non deſpero. Utere ut libet; ab hoc uno tantum cavere te quammaxime cupio, ne ullum videlicet e fratribus tuis Jeſuitis erudiendum tradas. Illorum curam quoad mores attinet candidam, & inculpabilem neque jam audeo laceſſire; pro ea tamen parte, quæ doctrinam reſpicit, nunquam ſatis damnabo. Indocti Præceptores ipſi, & uſque ad ſtomachum ſuperbi nonniſi ſtolidum tumorem, & odioſam ignorantiam auditoribus ſuis inſtillant, adeout e ſcholis Jeſuitarum civilis vitæ præcepta æque ac veræ ſapientiæ dogmata in diem exulare oculi non occupati nimium cognoſcant.

Cæterum male congeſta argumenta, quæ diebus elapſis ad Archipresbyterum noſtrum miſi, frigidiora ſunt, quam ut laudes tuæ lucem aliquam illis afferre queant: *Scribimus indocti, doctique:* ac tam levis eſt papyri jactura, ut illi parcere non ſatis honeſtam avaritiam exiſtimem. Sed ut mi-

 ni-

nima eſt ſcribendi impenſa, ita & gloriæ cupido, mihique magis, quam amico, aut famæ ſtudeo.

Præterea certiorem te facio (quod optabas) de libertate adepta, olim obſequiis Medicei Principis devota. Potentiores, & forſan ineptiores in locum meum ſubrogati mihi me ipſum reſtituerunt, Aulamque ridendo ſupercilio undique coarctant. Ego, quod ad me attinet, natalium fortiſque meæ non immemor Domini limen vel oſculis terere non prætermitto, quodque magis miraberis, eadem animi tranquillitate, qua quondam in ſecretioribus cubiculis admotus dulciſſima colloquia miſcebam, & in partem fortunæ pene adoptabar. Cara quippe mihi eſt ſolitudo hæc, quam fecit inſanus Procerum livor, non Princeps omni humanitate uſque ad delicias perpolitus; lætorque in hoc delectu non recenſeri, cui pleroſque divitiarum favor, & ſcurrilis aptitudo, non virtus, & prudentia promovit. Sed hæc in mentem revocare plus mihi ſuperbiæ, quam doloris auget; quare illa libenter omitto, tibique diutius penſanda relinquo. Interim quod ad me propius attinet, ſcias amicum tuum non bona frui valetudine. Calidiſſima pocula, quæ Coccolatam appellant, elapſis menſibus largius hauſta, necnon immodicum piper in condiendis quadrageſimariis cauliculis effuſum humidum, quod vocant radicale, calore ſuo mihi pene abſumpſerunt. Quapropter a menſa vinum, cæteraque aromataria Medicorum conſilio longe ablegavi: diluculo malvarum cicoreæque ſuccos haurio, horiſque pomeridianis Nucerini fontis aquam acidulo citri liquore medicatam deglutio. His tamen non deſi-

nit

nit lenta tabes igne viſcera adurere pertinaci, & ſtomachum vitæ coquum labefactare, adeout quotidianum alimentum indigeſtum ventriculo mandet, nullaque cibi portio in chilum, & ſanguinem convertatur. Vale igitur & mente, & corpore, ac ex Epicuri dogmate pro certo habeas ad valetudinem mentis multum quoque corporis valetudinem conferre.

Romæ Prid. Cal. Jun. 1687.

VICTORI FELICI COUCCI

XIII.

IN otio Aricino feriatum, genioque litantem occuparunt me literæ tuæ faſtidio gratiſſimo. Ecquid enim carius accidere mihi poterat prope hanc blandientis cœli faciem, locique teneram indolem, quam mutuas de amore ſententias reddere, & accipere? Minutiſſimas quidem aves in hac regione, rivos, zephirum, nemora ipſa, lapideſque ſenſu expertes audires, amice, neſcio quo ſermone, ac dulci facundia ſeſe animo inſinuantes, ac opificis Dei ſapientiam bonitati parem clamitantes. Neque enim eſt muta rerum natura, ſed undequaque loquax, multaque docet contemplantem, ſi nacta fuerit hominem attentum, ac docilem. Hinc deprehendere facile potes, quam invidioſa cenſura culpaſti creaturas, & quidem rationali anima præditas ab amoris miniſterio illas arcendo, dum non modo flores,

& auræ vernantis murmur, sed tesqua ipsa, rupesque alpinæ, & si quid horridius oculos offendere solet, tam eloquenter de amore nobis loquuntur. Tibi ipsi contrarius amorem Dei prædicas, instrumenta tollis amandi, sanctius ne primum, an crudelius fecundum ignoro. Recolere oportet, amice, animum nostrum ad hoc corporis contubernium quasi cœli ostracismo damnatum tam alte implicari materia, ut aliquo lumine indigeat ad has tenebras dispandas, suumque Creatorem agnoscendum. Neque oculos in se ipsum retorquere potest, ut illic quasi in speculo divini vultus imaginem contempletur; alta videlicet nox, & longa oblivio adeo mentem delinivit, ut nequaquam recordetur digitos Dei tetigisse, & a cogitatione divina proxime effluxisse. Necesse itaque est, ut irrequietæ amandi cupiditati satisfacturus in externis operibus auctorem inquirat, agnitumque toto homine diligat; at cum nullibi melius, clariusque Deum elucescere, quam in anima rationali compertum sit; studeamus, amice, teneras has species essictim amare, quæ nobis dant pennas plusquam columbæ, ut ipsi Divinitati feliciter jungamur. Nec cum dixi teneras species, pulchritudinem illam corporis amandam approbavi, quæ injuriæ temporum obnoxia veluti flosculus primo vespere marcescit. Siquidem hæc colorum, linearumque concordia, ipsa per se fragilis, & sæpe mendicatis illecebris adultera, utpote corporea pellicere non potest animum origine spiritalem, & æternum. Nobiliori lenocinio capitur hæc Divinæ mentis particula, suique similem, hoc est omni materia expertem animi pulchritudinem deperit. Qui vero sequuti

quuti duces sensus terrenam formam venantur, neque amore capiuntur, neque amantes dici queunt; effrænis quippe motus ille brutisque animantibus communis tanti nominis dignitatem non meretur. Amor est pulchritudinis desiderium, nescitque has sordes, & dedecora sectari, quæ ipsi pulchritudini tam longe adversantur, cumque præcipue tendat ad immortalitatem, negligit, ac prætervolat fluxam hanc linearum, colorumque mixturam, quæ tantum analogice forma nuncupatur. Quo ergo piaculo placabis, amice, Cupidinem cœlestem, ac divinum Puerulum, qui de illo verba facturus tam humiliter (ne dicam fœde) sentire non erubuisti? Crede mihi, vocabulo errasti; libido est, turpisque rabies, non amor, quam apud me religioso calamo traduxisti: hujus ego ne nominis quidem beneficio Philosophiæ recordor, nec ulla nota in paginis tuis me depictum agnovi. Sit quamtumvis ullum corpus undique pulchrum, & ipse Socrates in Alcibiade suo emendatiora desideret. Sit præterea mulier imperfectum animal crudele, vecors, impurum. Quid inde? An non illius animi dotes, neglecto corpore, contemplari fas erit, si hæ Creatoris nos admonent, & immortalis Ideæ, cujus vestigium lumenque conservant? Depereant cœci amatores fœminei vultus corticem, & extimam superficiem adorent, me altius penetrare juvat, animumque ipsum attingere, in quo Divinitatis characterem non obscure deprehendo. Nec mireris, si pulcherrimis corporibus præcipue delector tanquam animi parum sollicitus; nullum enim majus internæ formæ testimonium habeo, quam lacteam frontem, tremulumque oculorum nitorem; siquidem pulchritudo

 nil

nil aliud eſt, quam victoria formæ ſupra materiam, ideoque quilibet ſpecioſus animus emicat in vultu, ac genialibus lineamentis in corpore ſui conſorte ſe ipſum imprimere conatur. Hinc oritur magnes illa, quæ rapit corda mortalium amabili quadam neceſſitate, ut ab illius amplexu momento divelli tam ægre patiamur. Cetera vero, ut dixi, muliebris formæ decora niſi ad animum referantur, umbræ ſunt, & oculorum præſtigia, ſtultoſque tantùm homines, ac libidine effrænos titillant.

At inquis, caſta ſit hæc tua voluptas, pudicus ſit & amor, infelix tamen amandi genus, quod ſitientem animum fugitiva illecebra non ſatiat, ſed magis magiſque in diem irritat. Vera reponis, amice, ultroque ipſe fateor amantis deſiderium terrenæ formæ inhians nunquam expleri. Quid ergo? Nonne vides hoc ipſum evincere amandum eſſe, totoque vitæ ſtadio amandum: etenim humana mens anxia cupiditate adhærens creaturæ, dum quidquid cupit in illa fruſtra requirit, jejunam cogitationem in ipſum transfert Creatorem, & a rerum mortalium tyrocinio ad amplectenda immortalia nobilius degenerat. Utinam igitur aliquando migrare contingat in ſinum æternitatis, ubi ſolus amor erit unica, & cara omnium occupatio, neque illic (ut ambigere videris) inexpertus tyro amantis officia implere ignorabo; imo ecquis alius alacrior amans ſeſe Divinitati immiſcebit, cum etiam in hac peregrinatione per mortalium rerum ſpeciem Deum amare aſſidue ſtuduerim? Quam feliciter meus amor peregrinus a pulchro per pulchrum ad pulchrum remeabit? Quodque in Deo incipiens pulchritudo fuit,

fuit, per creaturas transiens amor, in ipso tandem Deo reversum innocua voluptas erit, gaudiumque immortale. Amice, non hæc a fatidica muliere Diotima, ut Socrates, didici, nec mihi pro Apostolo Plato; libeat serio expendere rationes, quibus innocuum amorem a tuis criminationibus vindicare conatus sum, certe in his plus Christiani, quam Platonici invenies, teque ipsum licet Stoicum tali irretitum amore aliquando vidisse pietatis, ac doctrinæ tuæ pro magno mihi fuerit argumento. Vale.

Ariciæ V. Cal. Jul. 1687.

E I D E M.

XIV.

QUemadmodum spurium Dionysium sapienter abdicasti, ita & ego Scholasticæ reconcilior nullius magis gratia, quam veritatis. Pudet tandiu Hæreticorum vestigiis quodammodo inhærere, & inter argumenta vividi ingenii pene ipsam perfidiam enumerare. Verum si hoc fœdus ineundum est, patiatur matrona temporum vitio corrupta mundum muliebrem deponere, ac lenociniis omnibus viduare, valedicat Monachorum contubernio, laciniosas vestes, & inutiles sinus deponat, ac denique ad legitimæ nativitatis decora cervicem reflectens se ipsam, quæso, recognoscat. Hac lege, si placet, descendam ad oscula cœlestis viraginis; illamque duraturis

am-

amplexibus obligabo, alioquin superbus amator dedignabor connivere Matronæ, quæ in scholis prostituta pro charitate contentiones, pro sapientia tumorem, pro Christo venditat Aristotelem. Neque ego a Philippo Melancthone has dicendi formulas mutuavi, ut in præteritis officiosa calumnia velle mihi imponere videbaris. Objurgavi, fateor, Theologiam, & forsan paulo acerbius, quam par erat, objurgavi, cum potius illius sequaces calamo appetere debuissem: pleraque enim vitiorum pars non scholæ, sed auditoribus tribuenda erat. Theologia, uti vulgo definitur, optima est divinaque scientia, neque illam imposterum satis laudabo; at quicumque peregrina verba, & ad libitum ficta, quicumque vanas dissertationes veritatis ludibria in scholam important, exerant quidem calamum, paratus sum cum illis pro virili dimicare, &, quæ per adulteria Theologiæ Fidei nostræ inurunt dedecora, in otio musarum vindicare. Nonnullæ quidem (nec abnuo) in Theologia dictiones sunt optimæ, & aptæ innumeris difficultatibus occurrere, veluti illæ *valide* & *illicite*, quæ pene innumeras de sacris Ordinibus quæstiones breviter, & opportune resolvunt. At quantus est inutilium numerus? Quam monstruosa, & fatidicum nescio quid redolentia verba usurpant scholastici, quæ nec ipsi auctores percipiunt? Jam nullus est Theologiæ Doctor, qui portentum aliquod, novam videlicet, & inauditam distinctionem pro libidine ingenii sui non cudat: fœcundi scilicet verborum Præceptores pariunt in scriptis suis non unam chimeram: sed tam libero spiritu effundunt quidquid illis suppeditat ambitio, ut insolentiæ vocabulorum nullus capax

sit

ſit index. At nonnullæ ſunt quæſtiones, quæ prima fronte licet curioſæ, aut inutiles appareant, ad excitandam erga Deum voluntatem commode derivantur. Pulchra ſunt, quæ mihi ingeris in hac re Athanaſii, & Auguſtini teſtimonia, ac digna, ut impoſterum diligere me cogant vel Pſeudotheologiam, ni pro uno, aut altero hujuſmodi exemplo, quod reperire eſt in SS. Patrum libris, infinita eſſet illarum ſeries diſceptationum, quæ nihil ſapiunt, niſi putam audaciam, aut ridiculam prorſus vanitatem. Audi quæſo, quæ ipſemet paucis ab hinc diebus publica in Academia non ſine miſeratione audivi.

Prodierat veluti in horcheſtram Jeſuita quidam vultu parum liberali, occipitio calvo, & qui pallore ad Cleantis lucernam contracto grande aliquid attonitis auditoribus promittebat. Tandem poſt rancidulum apparatum, quæ putas Fidei noſtræ myſteria declaraſſe, quæ dogmata Chriſtianæ Religionis ab Hæreticorum morſu vindicaſſe? O effætam ætatem! o miſeram literarum conditionem! Subtiliſſimis rationibus penſavit, quantum ſpiritus opus Angelo tubicini futurum erat, ut in noviſſimo die fatalem buccinam inflaret. Ne rideas; aeris regiones commenſus eſt, nubium impedimenta in ratione habuit, ac minutiſſime ſupputavit; lapides etiam, qui ſepulchrorum ora intercludunt, quantum reviviſcentium corporum auditui obeſſe poterant, ſerio perpendere non eſt oblitus. Hæc ſunt, amice, decora, & utilitas, quæ trahit ab Ariſtotele Theologia! Hæc in animis pariunt Theophiliam! His armis Hæreſis hydræ occurri poteſt! Quam puto Calvinus, & Beza tuam illam ſolutionem riderent

bene-

beneficio Philoſophiæ a Scholaſticis traditam ad illud Auguſtini declarandum: *peccatum eſt pœna peccati!* Quid eſt, rogo te, iſtud, quod jactas egredi a voluntate, & recipi in eadem voluntate? Eſt ne peccatum globus aliquis, qui a puerili manu emiſſus in eamdem convertatur? An voluntas planities aliqua, ubi commode reclinent peccata? Sed, ut tibi morem geram, idem actus voluntatis indiviſibilis duplex ſit, videlicet prout emanat, & prout revertitur in principium, a quo emanat. Eſto, quod elicitus actus in voluntatem veluti cubitum redeat. Quomodo autem peccatum hoc ſecundo modo acceptum dici poteſt pœna peccati, ſi, ut ipſe fateris, eſt cauſa pœnæ, non ipſa pœna? Nihil ne interponis inter cauſam, & effectum? Sed, ais, improprie nuncupatur pœna, cum vere ſit cauſa pœnæ. Bene eſt. Quare ergo innocuum cenſetur, cum impii jaculantur hoc telum; ſolumque læſi Numinis piacula meretur, cum recidit in voluntatem? Credideram potius, & magis propria ſignificatione peccatum dici cauſam pœnæ debuiſſe, cum a voluntate producitur; nam tunc, te annuente, eſt culpa, culpam vero cauſam eſſe pœnæ nemo non fatetur. Adde, quod ſicuti peccatum (utar liberis Scholaſticorum floſculis) prout emanat a voluntate eſt culpa, non pœna, quia pœna dicit paſſionem, non actionem, eadem ratione, prout recipitur in voluntate, neque erit cauſa pœnæ, quia tali modo peccatum acceptum eſt paſſio, nec paſſio poteſt eſſe cauſa, quæ in ipſiſſima actione conſiſtit. Crede mihi, multa ſcholaſtici enucleare putant, quæ vere non enucleant: actiones, paſſiones, actuum pluralitates, momenti diſtinctiones, eſſentiam, accidentia, mediate, im-

immediate, actualiter, actitudinaliter, cæteraque hujusmodi innumera confarcinant, quæ nubem oculis obtrudunt, veritatem non denudant. Atque hic dabis veniam, amice, si paulisper a proposito divertens alteram nostri sæculi miseriam in Theologicis carpere aggredior. Theologia, quam Moralem vocant, eo fatali quodam literarum senio redacta est, ut etiam atque etiam cavendum sit, ne illam probi adolescentes, aut integerrimi juvenes attingant, alioquin orationis lenocinio pellecti turpibus pedicis implicabuntur, & nomen dabunt improbitati. Quis enim fœditates Moralium auctorum libri, quæ dedecora publice non exponunt? Qui unquam tam sordidi centones, ut illorum paginis æquare possint? Quæ lustra, quod lupanar in tota suburra invenies, ut modestum non sit profanorum hujusmodi codicum comparatione? Ipse ego, qui perditorum adolescentum princeps fui, & sæpe ipsam juventutem lutulentis sordibus dehonestavi, fateor non semel erubuisse inter Sanchez legendum, & plus nequitiæ ab illius scriptis hausisse, quam ab impudentissima qualibet pellice didicere potuissem. Artis amatoriæ præceptor Naso, procax Horatius, ac mollissimus Tibullus, si cum hoc auctore conferantur, educandarum Virginum tyrocinio apti esse videbuntur: in his saltem dicendi lepor, & erudita lascivia turpitudinem dissimulat, in hoc meraca luxuries, nuda petulantia, & apertus furor insanit. Sed quid de uno Sanchez verba? Bossius, Leander, Bonaccina, Formosinus, Pontius, Diana, cæterique morales Theologi adeo mores legentium scriptis suis corruperunt, ut plures perdiderint isti, quam flexanima Amaryllidis verba,

aut

aut morientis Adonidis ſuſpiria. Non tot Veneris figuras Sapho nummis inſculpſit, quot auctores iſti paginis ſuis delinearunt; & quaſi nulla alia ſit digna Moralis Theologiæ materia, niſi libidinis probra, omnis titulus redolet fornicem, ſalaces ubique literæ luxuriant. Quodque acerbius fero, pauci ſunt Monachorum, aut Clericorum eruditionis, & doctrinæ opinionem apud vulgum aucupantium, qui iſtius fermenti contagione polluti paginis non fœdent ſpurciſſimis commentis. Scio te reſponſurum Confeſſariis iſta neceſſaria eſſe, non tradi ad eruditionem legenda. Quaſi videlicet ante hoc ſæculum, in quo nata eſt hæc ſordida ſcribendi farrago, nullus eſſet pœnitens, nemo Confeſſarius, nullus concupiſcentiæ fomes. Fuerant & antea, ut arbitror, conjugia, thalamique genius vetito concubitu non violandus; quare ergo noſtra ſolum ætate ab iſtis Præceptoribus traditur canon procreandi ſobolem, oſcula diriguntur, & amplexus maritales certis limitibus coercentur? Infelix Theologia, quæ ſi miſtica mavis haberi, te hiſce temporibus ubique Sectarii dilacerant; ſi dogmatica, apocryphis auctoritatibus fulta, aut male derivatis ſcripturis armata inimicorum pectus ne leviter quidem delibas; ſi Scholaſtica, Philoſophiæ contubernio enervata inutiliter laboras; ſi denique Moralis, ad lupanaria proſtituta lenam eſſe juventuti, & obſcæna vocabula docere miſerrime cogeris. Itaque, amice, ſi tantum amas Theologiam, ut illius amorem mihi quoque commendare præſumas, quæſo, ne illius mendas, & purulenti corporis tabem palpantibus verbis contrectemus: agnoſcamus una ſimul hujuſce Matronæ, ſeu ut melius dicam, perpendamus deli-

deliramenta fenefcentis ætatis, illaque non timide, non occulte, fed libera indignatione damnemus. Cum vero vitiis omnibus, & maculis detersis ad priftinum decus provocaverit Theologia, tunc illa, fpondeo fidem meam, mihi in deliciis erit, charamque præ omnibus habebo.

Accedit fecundo loco examinandum fœdus, quo divinam cum libero arbitrio Gratiam copulatam optimis auctoritatibus demonftrafti. Fateor tamen multa reponere poffe, ni Catholicus effem, & fanctiffimis Conciliorum Decretis ex animo acquiefcerem. Etenim Scriptura facra, Sanctique Patres, quibus innititur ineffabilis Gratiæ vis, totidem habent contraria loca, quæ Arbitrii humani libertatem defendunt, primofque voluntatis conatus noftros effe apertiffime contendunt. Non fatis igitur ex epiftola tua mihi liquet, quare Concilia neceffitatem Gratiæ voluntatem prævenientis agnoverint, atque anathemata firmarint, cum etiam aliquid tribuere humano arbitrio non temere poffent, meoque judicio deberent. Neque refpondeas hæc, quæ fibi contraria videntur, Scripturæ, aut Patrum loca optime conciliari; nam fi aliud non petis quam Scripturæ concordiam, hanc ego tibi dabo, & quæcumque mihi pro divina Gratia attuleris teftimonia, eadem ad liberum arbitrium comprobandum facillime extendam. Nihil eft commodius, quam facros Codices interpretari; Protei funt, qui formas, quafcumque tradideris, accipiunt, idque ex Patrum, Doctorumque lucubrationibus, qui eamdem omnino literam diverfimode expofuerunt, fatis fuperque compertum fit. Itaque ad omnem erroris nebulam detergendam hoc unum a te beneficium expectabo,

ctabo, rationes videlicet audire, quibus Arausicana Synodus adeo fuerit nostræ humanitatis inimica, ut nos libero arbitrio, quod sola constat voluntate, penitus spoliaverit. Rem gratam facies, si auctoritatibus abstineas, cum & illarum scriptores sibi ipsis non uno in loco adversentur, sacræque Literæ non minus libero arbitrio, quam divinæ Gratiæ favisse videantur. Neque amicum tuum Semipelagiani nomine decorabis, si perpendas me non repugnare Gratiæ, quæ prævenit recta opera, sed illi, quam prævenire, & parere in animo nostro voluntatem tam constanter affirmas. Inter voluntatem bene operandi, & opera ipsa paululum pono discriminis; hæc utpote meritis plena non nobis, qui ad talia infirmi sumus, sed Deo tribui debent; illa humano concedenda est arbitrio, quod debilitavit, non extinxit fatale pomi lenocinium, Sed (audio) hoc est, inquis, prævenientem, ac concomitantem Gratiam confundere, & Scholasticæ, quam damnas, auxilio destitutus, muro caput impingere. Non est porro. Prævenientem Gratiam a concomitanti & ipse distinguo, sed utramque in bonis operibus seclusa voluntate recognosco, ea scilicet ratione, ut rectorum operum principium a Deo, & quidem sine nobis, emanet, processus vero bonarum actionum a Deo simul & opere nostro consequatur. Atque ita quæcumque Gratiæ genera amplecti jubet Ecclesia, & ego sequor; imo & plura inveniam, nulla tamen nostræ libertatis injuria: Finge, quæso, tibi puerulum, imbecillem, inexpertum, qui sub ludimagistro, aut pedagogo, puta, scribendi artem discere cupiat. Comparat magister atramentarium, papyrum, calamumque

tra-

tradit acuminatum, bifariamque tenuiſſimo vulnere diviſum, mox diſcipuli pollicem regens lineas, & characteres una ſimul exarat. Puer eſt & male ſui compos animus noſter, qui ab utero alienæ infirmitatis adivit hæreditatem, & imbecillior quidem lapſus poſt Baptiſmi regenerationem. Cum vero in hoc ſtatu ſenſim amiſſæ dignitatis reminiſcatur, & ad cæleſtis adoptionis ſplendorem affectet, tunc bonitas Dei flecti facilis manus porrigit in tenebris jacenti, unaque ſimul in calle virtutis deambulat. Jam vides in noſtra voluntate, ſed inefficaci, liberum Arbitrium vulneratum, in Deo, qui porrigit brachium, Gratiam prævenientem, in ipſo vero progreſſu Dei, & hominis cooperationem Gratiæ recognoſcis. Hæc ego neque divinæ Gratiæ, neque injurioſa libertati exiſtimo; hæc mihi magis arrident, quam Scholaſticæ tuæ veneres illæ exoletæ *libertas a coactione*, *libertas a neceſſitate*. Impleant, quæſo, hæ voces ludricas Jeſuitarum paleſtras, ut ambitioſius mundo imponant, ſed nobis, qui veritati, non vanitati ſtudemus, placeat abſque tumore, aut ænigmate de Deo philoſophari.

At quia æſtivi caloris faſtidio percitus mentem recreare ſtudeo, non afficere; amæniori campo vagari, hoc eſt Platonicum amorem veluti in tabula pingere, ac denudare permittes, tibique penſum geminæ epiſtolæ unico officio perſolvere. Ac primum de amore nobili, videlicet de divina flamma dicturi, quæſo, recedamus a fornice, turpique mulierum commercio, ubi furor, & libido regnant, non gentilis animæ affectio; illa videlicet, quam in præteritis tibi ducem propoſui, mihique cariſſima eſt, vitæque meæ

comitem amplector, & foveo. Hisce sordibus vindicata fax illa immortalis videbis, quam puro lumine per hujus deserti tenebras amantium mentes praeire soleat, & expectatae felicitatis patriam non procul ostendere. Quid enim clarius nobis ob oculos ponit summi Opificis decorem, quam linearum, colorumque in ore fœmineo perfecta mixtura? Nam si cum Palatium secundum architectonicas mensuras affabre concinnatum videmus, Artificis nomen extollimus; quanto magis in eleganti fronte, & oculorum nitore Deum auctorem commendabimus? Nullum siquidem majus habemus in terris argumentum aeternae pulchritudinis, quam sit vividus ille color animique gratia, quae veluti per rimas in corpore pellucet. Natura quippe, (ut prae aliis testatur Proclus in lib. de Magia, & daemone) quae animis confingit corpora, instrumenta eis congrua suppeditat, imaginesque animarum in corporibus indicat. Neque dicas, haec falsa esse, & subdola interioris formae testimonia, ac deceptum oculum saepe speciosum corpus sequutum in faedam animam incidere. Haud enim de morum rectitudine, aut gravitate mihi sermo est, quae in unoquoque corpore sive pulchro, sive turpi reperiri potest, utpote studio nostro, ac labore parabilis; sed de illa tantum forma loquor Dei, naturaeque liberali dono, quae sub his elementorum spoliis latere nequaquam potest, ac in oculis formosarum mulierum apertius emicat. Ita neque turpem Cleopatram, nec Phrinem, non Helenam, non perditissimum Alcibiadem poteris nuncupare, cum naturae dotes, & quidem illustri charactere insignitas, habuerint. Hinc quoque facile perdisces,

fces, quomodo nec vetulae, nec turpes licet bene morigeratae a nobis amentur, cum pulchritudinem corporis aut nunquam possederint, aut rapina temporis amiserint. Neque insistas saltem amari debere propter mores, siquidem habitus virtutum, qui a nobis comparantur, hominumque non raro pendent arbitrio, sola nominum penuria pulchritudinem animae appellare solemus; caeterum divinis obtemperare praeceptis, Reipublicae inservire, modeste loqui, fortunam & opes contemnere, bona quidem sunt, sed animo extrinseca, & peregrina, quae nec oculis nostris divinam pulchritudinem aperiunt, neque Dei amorem propinant. Sit igitur formosa fœmina quantumlibet procax, ipsaque luxu marcida; sit ex altera parte torvo aspectu virguncula diuturno jejunio debilis, laceris vestibus pannosa, humilis, abjecta; quin putas illarum ab extima oris specie meliorem de Deo cognitionem nobis ingerere? Certe si placet solo intellectu judicare, nullo libidinis caeno involuto; nemo erit tam demens, ac caecus, ut primae suffragia non deferat, secundamque Stygis potius, & Acherontis, quam Coeli fidem facere non affirmet. Quanquam haec animi pulchritudo, quae ab auctore naturae Deo proficiscitur, adeo est bonis moribus cognata, ut raro pulchra in anima habitare soleant vitiorum monstra, sed tantummodo in illa divinum jubar quasi commodis aedibus diversetur. Species enim corporis (ut ait D. Ambrosius in lib. 2. de Virginibus) *simulacrum est mentis*, *figuraque probitatis*. Quam sententiam sequutus incertus ad Constantinum auctor Panegyrici -- *non frustra*, inquit, *doctissimi viri dicunt Naturam ipsam magnis mentibus domicilia cor-*

porum metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illo coelestis spiritus intrarit habitator : & elegantius quoque de hac re Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodosium scripto *Augustissima quaeque species plurimum creditur trahere de Coelo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium; sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo; sive aliud ex alio crescit, & cum se paria junxerunt, utraque majora sunt*; & statim post subdit ; *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium, illa praestitit, ut oporteret te Principem fieri, haec ut deceret*. Quod si hujus rei Poetarum desideras testimonia, vide Claudianum in Stilicone:

Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas,
Spondebatque Ducem celsi nitor aureus oris,
Membrorumque modus.

Et huc quoque alludit illud Ovidii lib. 2. Fastorum de Lucretia:

Et facies animo dignaque parque fuit.

Et libro 6. ejusdem Operis:

Par animo quoque forma suo respondet in illa,
Et genus, & facies, ingeniumque simul.

Quid plura? Sacer ille Isacidum Citharaedus Ode 44. de Christo venturo loquens; *Speciosus*, ait, *prae Filiis hominum*; & iterum Ode 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est*. Divinae quoque lite-

terae orationi meae non modicum afferunt auctoritatis, cum pulchritudinis titulo, atque nomine extollunt claras, & insignes pudicitia, caeterisque virtutibus Fœminas, ut videre licet in Sara, Rebecca, Rachel, Abigail, Susanna, Judith; quasi videlicet formae gratia, morumque rectitudo immortali quadam cognatione prognatae inter se mutuo conspiraverint.

E contra vero in deformitate corporis deprehendi deformitatem animi adeo compertum est, ut Rasis vir inter Medicos non obscurae famae lib. 2. ad Almansorem cap. 33. audacter dixerit: *cujus facies est deformis, vix potest habere bonos mores*, & ante illum Galenus lib. 2. De temperamentis cap. 6. scripserit *naturam membra componere, prout moribus animæ convenit*. Ideoque Homerus quemadmodum Agamemnonem, Achillem, Patroclum, Thelemachum, Deiphobum, caeterosque, quos virtute praestantes Heroas facit, decentissima quoque corporis specie fingere consuevit; ita Thersitae ut mentem ignavam, ac degenerem, sic & corpus usque ad portentum deforme effinxit, ut in eo possis intelligere pessimum animum domicilium sibi dignum elegisse. Atque huc respexisse credo Mosaicam Legem, qua deformia, vel maculosa vetabantur offerri, vel immolari Deo: *Levit. cap.* 2. & *cap.* 21.; ubi cavetur, ne quis corpore deformis, vel vitiatus panes Deo suo offerat, aut ad ejus ministerium accedat, tanquam corporum vitia, & maculae habeant symbolum vitiorum animi, ut luculenter probat D. Gregorius *in cap. hinc etenim* 49. *distinct.*. Hinc convaluit vetustus Romanorum mos (*teste Gellio lib.* 1. *Noctium cap.* 12.) nullam initiandi sacro igni

Veſtalem Virginem, quae turpis eſſet, aut aliquo corporis vitio laboraret; hinc D. Hieronymi ad Demetriadem querelae, quod Parentes Chriſtiani deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, tradere ſoleant virginitati. Quae cum ita ſint, amice, ut communis Philoſophorum, doctorumque Virorum in eamdem ſententiam conſpiratio ſuadet, tam ſanctam cupidinis taedam ventilare qua ratione prohibeas, non adhuc deprehendo. Audio tamen muſſitantem. Amor eſt deſiderium pulchri, & ad unionem affectat; licet ergo pulchra extrinſecus mulier ſub cute quoque ſpecioſa ſit, ac in illa ſolius animae fulgor ametur, non tamen primae cauſae mortalis amator, ſed ex ipſa amoris natura creaturae, quam deperit, adhaerere neceſſe erit. Do veniam libenter rei amatoriae (ut video) ignaro, pueroque pene dixerim abacedario. Amoris definitio, quam Plato, caeterique Philoſophi tradiderunt, ea eſt, quae divini amoris naturam melius explicat, quam humani, & ſi noſtro quoque affectui quodammodo conſonare dicimus, hoc accidit, quia tam divinus, quam humanus amor licet longe imperfectior ab eodem fonte divinae pulchritudinis emanat. Caeterum ex hac definitione male reponis, ergo finis humani amoris eſt adhaeſio Creaturae; nam finis humani amoris (loquor de pudico, de Platonico) nullus eſt in creatis, ſed in ſolo Deo reperitur. Illi adhaerere, cum illo miſceri docet, & quia ad coeleſte jubar caecutimus humi repentes, aufert per has corporum ſpecies, quae radio divinae pulchritudinis repercuſſo amantium intellectu oblivionem illam, ac ſoporem excitant animarum. Haec ſcalas eſſe prodi-

ditorias ad Arcem Empirei expugnandam, si te dignum hac cuspide fecisset aliquando Cupido, haud certe mecum quarereris, amice. Accipe quaeso mentem Auctoris illius, quem non minus vitae sanctitas, quam amoris flamma dicavit, Francisci, inquam, Petrarcae, cujus carmina Hetrusco, mihique materno sermone exponam, ne quid illis decoris auferam. Audi (amabo te) quantum hisce gradibus, quos tu velut ineptos reprobas, sapienter ipse detulerit; mihique veniam dabis, si paulo fusius, quam par fuerat, tam doctis carminibus indulgebo:

Da volar sopra 'l Ciel gli avea dat' ali
Per le cose mortali,
Che son scala al Fattor chi ben le stima,
Che mirando ei ben fiso quante, e quali
Eran virtudi in quella sua speranza;
D'un' in altra sembianza
Potea levarsi all'alta cagion' prima.

Vide, quaeso, quam non sint hi gradus Scalae Gemoniae, nec ad Tartara, sed usque ad sidera amantes extollant.

Come s' acquista onor, come Dio s' ama,
Ivi s' impara, e quale è dritta via
Di gire al Cielo. . . . .

Quid quaeso clarius?

Vedi ben quanta in lei dolcezza piove,
Vedi lume, che 'l Cielo in terra mostra.

Et alibi:

Gentil mia Donna io veggio
Nel muover de' vostri occhi un chiaro lume,
Che mi mostra la via, che al Ciel conduce.

Quinimmo tam secura est, tam sola hæc via, ut frustra aliam invenire queas, si oculis tuis pulcherrimæ Foeminae aspectum interdicas.

Per divina bellezza in van sospira
Chi gli occhi di costei già mai non vidde,
Come soavemente ella li gira.

At quia veluti institutione mendaces rejici solent Poetae (licet Franciscus meus utqui Philosophus, sacrisque literis imbutus ab hoc crimine liber sit) perpendere tibi placeat notum illud Salomonis: *A magnitudine enim speciei, & Creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*: & illud Apostoli ad Romanos: *Invisibilia enim ipsius a Creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*:. Quibus non dubito te ultro fassurum terrestris formae gratiam multum sapere aeterni decoris, animumque nostrum remota corporis memoria primaevae origini immiscere.

Remanet postremo diluenda, quam mihi sapienter objicis, difficultas, quaeque me ab hoc itinere distineret, si ab amore peterem, ut face sua misero peccandi privilegio mortales spoliaret. Lubricum est cum fœmina consortium, illudque (quis ignorat?) veluti Charybdim, & Scyllam cavere nos admonent aliena pericula, crebraque naufragia. Fortissimum Samsonem blandimenta Dalilae effoemi-

minarunt, probum Davidem earumque Deo perdidit vidisse Bersabeam, Salomonem sapientissimum formosa Concubina Idololatriae initiavit. Esto. Neque ego humanitate me penitus exutum jactabo, ut interdum cecidisse portentum aliquod inexpiabile existimem, cum praecipue Samsonem, Davidem, Salomonem lapsos inspiciam. Quanquam dormire in sinu Dalilae, adulterium homicidio continuare, innumeris pellicibus famulari, aliud quidem erat, quam noster amor in solo residens intellectu, & ab omni materiae contagio impollutus. Videat a speculis Bersabeam David, nec illius pudicitiam sub regali conopoeo contrectet. Dalilae formam collaudet Hebraeorum Alcides, sed inter brachia discinctae meretricis supinus nequaquam permittat caesarie viduari; amet, non abnuo, Salomon formosas mulieres, sed non patiatur libidinis cœno collo tenus volutari, alioquin illud pulchri desiderium, quod animis nostris creat speciosae frontis jubar, in furorem, in libidinem, in vesaniam turpiter degenerabit. At inquis, dum hac sarcina mortalitatis circumdamur, facile nimium corporis contubernio lascivit animus, quoque ad ignem propius accedimus, ardendi discrimen subimus. Non est itaque sapiens consilium flammas tractare, & cum rogo ludere more papilionum, ni nos ipsos cladis nostrae auctores, ac reos facere exoptamus. Vera loqueris, amice. Quid inde? Crede mihi, si labimur, culpa nostra haec est, corruptaeque naturae, non amoris, quem temere invidia, nec suis piaculis oneramus. Siquidem si huiusmodi causa fugiendus amor, toleranda quoque erit diuturna sitis, cum intemperantia, & ebrietas in vino, & poculis natet; abstinendum

cibo,

cibo, cum jusculum, pulmenta, artocreae gulae vitiis blandiantur; non commutandae Mercatoribus merces, cum lucri dulcedo ad usuras usque titillet; nullius denique emptionis, & venditionis contractus celebrandus, cum laesioni etiam turpissimae subjaceant. Jam satis, ut spero, diluimus quamcunque illarum criminationum, quibus apud tuum tribunal insontem amorem adoriebaris. Remittes itaque ad amicum puerum Cupidinem ab omni crimine absolutum, & lachrymas, quas forsan ab illius ocellis rigor tuus, poenaeque formido expresserat, blandienti osculo siccabis. Ne te, quaeso, rusticum adeo, frigidumque praebeas, ut illum amplexari, & illecebris quoque mulcire diutius detrectes. Ne dubita (fidejussorem me tibi trado) non vafer, non subdolus est puer hic, imo ut semel dulcissimo illapsu pectus tuum intrarit, cogitationes omnes, quae mortale sapiunt, splendore suo penitus dissipabit. Ipse ego, qui quondam Cloridem meam tam perdite dilexi, digitoque vulgi demonstrabar velut adolescentibus evitandum bidental, nunc meliori flamma succensus insontes obtutus defigo, & in illius vultu ipsam pene divinitatem delibo. At susceptum amoris patrocinium longiorem fecit epistolam, quam tempus aestivum, tuaque patientia pateretur, ipseque amor omnium humanissimus peccare me coegit in leges urbanitatis. Vale igitur, & una cum Tiberio nostro me saltem ama.

Romae Cal. Augusti 1687.

EI-

EIDEM.

XV.

Diu eſt, quod literis tuis acceptiſſimis reſpondere libens cogebar, & debiti haud immemor non diſtuliſſem in hoc tempus officia, ſi mihi vacare tot rerum congeries, quae mihi me ipſum aufert, aliquando permiſiſſet. Addidit quoque huic malo incrementum Natalis Domini annua celebritas, quae parentum, & amicorum votis undequaque per epiſtolas acceptis adeo miſerum oppreſſit, ut aegre tandem ab hac procella, gentilique turbine emerſerim. Felicia omnibus proſperaque auguratus ſum, mihique interim peſſime accidit, dum inter caetera tempus, ac tolerantiam conſumpſi, nec ſemel officioſe mentiri coegit urbanitas. Jamque ad te redeo, qui in veſtibulo epiſtolae mihi redditae octavo Idus Decembris effers immodicis laudibus mei calami labores. Hoc ſicuti eſt humanitatis tuae, ita fuit conſcientiae meae utraque manu eaſdem decerpere. Blanda nimis, & adulatrix ſui natura etiam informes partus fovere ſuadet amantiſſime. Sed in filios adoptare gibboſos, ac lippos ratio nequaquam docet. Carmen Bavaro Heroi autumnalibus Feriis concinnatum tale forſan erat, ut ſi parentis oculos in illud intenderes, poterat in ſui amorem lepida quadam venuſtate pellicere; ſi mentis aciem applicuiſſes, damnares profecto ad cordylas, & olivas nugas meracas, & ineptum

pa-

papyrum. Ne igitur tanti facias leviſſimam jacturam, ſi jacturae nomen meretur ſonitum inanem perdere canoras vanitates, & erudita deliramenta. Hiſce videlicet titulis digniſſimam olim Poeſim, & Mecoenatibus caram decorat hodie Romana Curia, cum mitius agit in Muſas. Hanc mercedem Urbs ingratiſſima rependit Apollini, qui ejus famam trans mare devexit, nulliſque gentium Capitolium, Tiberim, ſeptemque Colles ignorare permiſit. Neque me credas pro Muſis apologiam ſcribere inſtituiſſe. Periit cum ipſa adoleſcentia dulcis ſcribendi libido, & quadam ingenii ſenectute pertaeſus delicatis hiſce bellariis, quibus olim diuturne paſcebar, haud amplius delector: imo ad praeteritos annos cervicem reflectens lepida inſomnia, quae viridiorem aetatem lactarunt, non ſine pudore accuſo. Altiori premor dolore, & juſtis gemitibus indulgere ſola eſt, quae mihi in hac rerum caligine ſupereſt, voluptas, & infelix ſolatium. Exulent quantumlibet carmina, quae teneris lenociniis animos inficiunt, ac ſola virtutis umbra occupant juventutem; ſed Philoſophia, Matheſis, Theologia, ſacrarumque Hiſtoriarum peritia quam cognationem profecto cum Farnaſi Virginibus habent, ut cum illis eadem fata ſubire turpiter cogantur? Tyrannos audivimus, ac barbaros olim aſſuetos ſcientias a Civitatibus eliminare, quas jugo premebant, & adhuc illorum memoriam puerorum declamationibus in ſcholis ſubjicimus, ut nunquam ſatis damnentur tam fœda crudelitatis argumenta. At nunc non eſt amplius, cur ab exoticis regionibus mendicemus exempla feritatis, quibus Rethorum ſtylus exercitetur, & odium in aucto-

res

res coalefcat. Romae medius fidius, Romae, inquam, talia monftra videntur hoc faeculo; nec fine bonorum lacrymis latitantis, nec profugae virtutis pauci admodum, & in abdito miferemur. Acta res eft (portentofum dictu, & mille ovium fibris expiandum) infelicis Juvenis, fi forte Theologus, aut Philofophus audiri cœpit; digito monftratur tanquam caput infulfiffimum, & qui omnium pretiofiffimum tempus ineptiis & quifquiliis conterat. Satius eft, & ad bonum nomen, mihi crede, proprius attinet lupanarium fordibus, & nidore culinarum per fummam ignaviam vitam polluere, dum tamen Legibus vaces, quam nobiliffimae alii fcientiae ingenuitate morum, & animi candore ftudere. Exoleta Baldi confilia, aut Cujacii opus, tinearum blattarumque repudium, Ciceronis Philofophiae, & Divi Thomae fententiis praeponuntur. Quaeritur anxio ftudio, quae fint extrema Salviani interdicti, an detrahenda veniat Legatis Falcidia, utrum filii in conditione pofiti cenfeantur vocati, & interim elementa vitae politicae negliguntur, dogmata Religionis ignorantur. Sed vulgaris effet ifta querela, nec horum temporum praecipua, fi divinam Philofophiam Digeftis, & Codicibus tantum pofponi dolerem; & aequo nimis animo cladem fuam humaniores Literae paterentur, fi a vera, & legitima Jurifprudentia derivaret. Hodie nimirum neglectis Caefarum legibus, Plebifcitis, Virorumque prudentum Refponfis, triumphant in Foro Leguleji quidam, quorum libros inauditis barbarifmis refertos latrinae devovere nulla foret injuria. Imperitus tamen habetur, qui fuas elucubrationes illorum auctoritate non fulcit, & con-

cla-

clamata res est miseri clientis, si forte causae Patronus recentem Doctorem non novit, aut Cerdonem indignabundus praeteriit. Quid de sacris Canonibus dixero? De ipso Oecumenico ac sacrosancto Tridentino Concilio? A Monachis ubique, & Confessariis glosatur, augetur, minuitur, interpretatur; quique hosce nugatores, seu corruptores ignorat, nunquam Canonistae nomen demereri praesumat. Abeat igitur in malam crucem politioris literaturae genius, ipsamque virtutem Barbarorum more odisse liceat, si illius asseclae passim traducuntur, & bonarum artium cultura neque famae prodest, neque fortunae. Verum epistola tua satis admonitus ab hisce querimoniis abstinuisse debueram, dum in illa e consilio Stoicorum doces virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam, insipientem vero miserum esse in ipsa fortuna. Equidem laudarem animi tui praeclaram indolem, quae omnia bona, ipsamque beatitatem in sinu virtutis reponit, sed vereor, ne splendore hominis captus a veritate cum laude aberres. Sit, amice, quantumlibet optima virtus, sit omnibus expetibilis, cara, pellucida; operemur, sudemus, vigilemus, ut illius consortio aliquando fruamur. Quid tum? Credis ne cum virtute jucundam tibi vitam contigisse, si cum illa irrideri, proscribi, & proculcari contingat? Stoici credidere, qui omni prorsus humanitate spoliati sapientem suum vel inter Phalaridis tormenta beatum fecere; at ego, qui non ex silice natus sum, sed habeo a natura tenerum quiddam in animo, atque molle, nunquam huic sententiae accedam, nisi tua me fregerint argumenta. Quinimmo tam longe a Stoicis dis-
sideo,

fideo, ut potius ad Epicuri, & Metrodori ſcholam accedere paratus ſim. Deme huic *Sectæ* famae invidiam, nulla reperiri poterit apud Ethnicos Philoſophos, quæ melius ſanctiuſque de finibus bonorum, ac malorum diſputaverit. Nomen illud voluptatis, cui ſummos deſerunt honores Epicurei, tam male auditur apud imperitum vulgus, ut tanquam humanæ vitæ probrum, & inquinamentum damnetur; cum cæteroqui voluptas Epicuri nullatenus ſit (ut credidit Seneca) latitans ſæpius, & terebras captans circa balnea, & ſudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollis, enervis, & unguento madens, & medicamentis polluta; imo tam caſtam, tam ſobriam inveni, ut illius Præceptor palam tradiderit auditoribus ſuis non poſſe jucunde vivi, niſi ſapienter, honeſte, juſteque vivatur. Quare in hoc cum Stoicis convenimus; ſed maxime ab illis diſcrepo, dum virtutem per ſe expetendam contendunt, ego propter voluptatem affirmo, adeout ſi nulla voluptas, imo dolor, & contemptus virtutem conſequatur, ſapientum quemlibet infelicem, ac miſerrimum puto. Quam igitur ſpecioſe deliraverit Seneca, cum Cinicorum principem velut potentiorem, & locupletiorem omnia poſſidenti Alexandro antepoſuit, fateatur ipſe, qui congeſtis divitiis affluens totam fere Britanniam fœnebri pecunia vexabat. Facile eſt ſub aurato fornice ſericiſque tapetibus deambulanti maris procellas, & infames ſcopulos commendare. Coge præclarum hunc divitiarum contemptorem pro regia domo, hortiſque omni cultura levigatis Cinici dolium habitare; crede mihi, nunquam in hanc ſententiam temere prolabetur, ſed a ſqualore pauperis

vitae

vitae abhorrens Macedonis fortunae audaci voto litabit. Neque velim in aliud extremum impinxisse me credas, ut divitem quenquam absque virtute beatum faciam: imo miserum puto plena in arca insipientem Licinium, quippe quia multis doloribus succumbere necesse est, quibus sola virtus medetur. Itaque neque virtutem, neque fortunam humanae beatitatis dominam facio, sed solam voluptatem, dolorisve carentiam; eo quia nec sola virtus, aut solae divitiae integram pariunt voluptatem, utramque ad comparandam in hac peregrinatione felicitatem necessariam existimo. Quare multum Stoicorum jactantiam irridere soleo, dum illud frequentius usurpat:

Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Audax & superba schola in abdito mentis se ipsam palpans exultat veluti cum ipsa virtute libertatem, honorem, divitias, pulchritudinem possideat, cum tamen nullo ex his bonis, nisi imaginarie fruatur. Sensus perimit haec Philosophia, non docet beatitudinem, & dum supra mortale genus homines conatur attollere, ipsa humanitate denudat. Hisce igitur satis superque certior esse potes me nunquam ad oscula virtutis descensurum, quandiu literae inter malas artes habitae, & qui illas adamant tanquam vecordes, & honestatis inimici damnati passim, ac protriti ejicientur ab Aula. In hoc enim exilio bonarum artium, & proscriptione virtutis plusquam Sillana (cum necesse sit, ut aliqua saltem animi aegritudine sapientes afficiantur, modo homines sint) vera

vera felicitas a virtute emanare nequaquam poterit. Hæc fententia fapit, fateor, Epicurum; fed dabis infirmitati meæ veniam, fi Stoicorum immanitatem ac ftuporem ferre non queo, fequutufque ducem naturam fola voluptate metiri beatitatem dixi. Vale.

Romæ IV. Non. Januar. 1688.

JOSEPHO ULIVERIO.

XVI.

PErjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus longi temporis ufuram, qua carui fructu dulciffimæ confuetudinis, magnitudine officiorum compenfafti. Mihi, fateor, confului, & utilitatem meam longius adamavi, quoties te nomine meo falvere juffi, & quod videbatur humanitas honefta, erat avaritia. Dolebam enim non modo temporis, locorumque intervallo, fed, quod pejus eft, fœda oblivione diftineri ab illo, cujus mihi neceffitudinem viridior ætas, & paria ftudia conciliarunt. Sæpe inter Fori venales clamores, & Aulæ fuperba faftidia ad præteritos annos, ingentefque jocos cervicem retorquenti irrepferunt non rediturae voluptatis confortes, mutuique inter nos animi non femel recordatus fum. Abfit tamen inter amicos ulla querela, cum potius caufari debeam occupationes tuas, & adolefcentum inftitutionem, cui totum te effe devinctum quam maxime gratulor Patriae communis beneficio. Omni bonarum artium cultura tibi creditos auditores,

ſed in primis imitatione tui fac erudias: teneras indoles, & molle lutum finge ad eam virtutis normam, quae nullibi melius, quam in te ipſo reperire erit, modo non repugnet modeſtia. Mores eo velim candore imbueres, ut a vitiis potius dedecore turpitudinis quam poenae formidine abhorrerent. Metu religionis occupent animos caeteri Praeceptores (quibus & nos aliquando paruimus) & imponant timidis cervicibus inſtans ſemper, nihilque aliud cogitans Numen; tu vero ſolo amore virtutis ætatem illam pellicies, & ſalubribus documentis lactabis; unico verbo pietatem tibi commendo, non ſuperſtitionem edoceas. Sigilla, & Icones revereri perdiſcant, ſed Patriam quoque, Parentes, & amicos ut colant, & ament, ſedulo animadverte. Denique Magiſtratui, & Reipublicæ, non tantum Monachiſmo initientur. Quantum vero ad literas attinet, ab imperito non expectabis conſilium, tamen ſi quid novi, aut noſcere potui in hoc celeberrimo Emporio, vellem tibi cordi eſſet etymologicorum, & lenocinantium verborum proſcriptio. Proh dolor! Qualia, & quanta ingenia ſola virtutis umbra Senis capiuntur, & dum inanem elocutionis ſupellectilem comparant, ſerio proficiendi ſeneſcit occaſio! Experto crede. Utinam bonis avibus natus incidiſſem in ſanos Praeceptores, qui nullo fuco ceruſſatam virtutem, ſed ſimplicem, nudamque contemplandam oculis meis expoſuiſſent; porro non damnarem inutili pœnitentia conſumptam in captandis muſcis adoleſcentiam. Gratulor tamen, quod non tam ſero ſapiunt Phryges, ut barbariem, & audaciam illam loquendi (quam hauſi, nec ſine laude exercui) novo genere culturae parare non poſſim. Cae-

Caeterum laudes, quibus immerentem cumulas, ficuti fuit tuae in me benevolentiae illas comminifci, ita erit confcientiae meae repudiare, tibique intactas ab halitu ambitionis remittere. Etenim ex aulico confilio

Mecum habito, & nofco; quam fit mihi curta fupellex.

Vale igitur, & ubicunque operam meam tibi utilem fore credis, effice juffis tuis acceptiffimis, ut virium mearum, qualefcunque fint, periculum faciam; dummodo non femel in trieteride calamum arripias. Vale, quantum mereris; tuofque labores bene Deus fortunet.

Romae Id. Januar. 1688.

FRANCISCO EPISCOPO CATACENSI.

XVII.

Literae tuae omni officiorum genere cultiffimae redditae mihi funt ferius, quam par fuerat, nefcio famuli ne magis negligentia, an fatorum invidia. Verum hoc expectationis difpendium tanto foenore redemit humanitas tua, ut jam non doleam diutius caruiffe tuae benevolentiae fructu, fed parum expectaffe, ipfique morae plurimum debere confitear. Ego hactenus filui non fine quadam ingenii mei injuria, & calamum fponte fua

 fluen-

fluentem in tui obsequium saepius cohibui; non tamen peccatum est in amicitiae leges, cum solus pudor effecerit, ne amicum Infulis initiatum, & Cœlo propius admotum nugis meis interpellarem, quasque debes populorum saluti, curas in mutuae necessitudinis officiis impenderes. Victus tandem tam singulari urbanitate gratulor optimam, qua frueris, valetudinem, & laeta omnia, ac pacata auspicor ea votorum fiducia, quam mihi creat virtus tua, & spectatae probitatis experimentum.

Quod autem nomine tuo scribere jussisti Angelo nostro lepidissimo, ut si quid notitiarum haberet de translata Catacium Venturorum familia, communicare dignaretur, jam tibi morem gessi, redditaque epistola ex illo plurimam tibi salutem dico. Descendat necne, quam memoras, familia ab eodem avito stipite, quo caeteri Venturorum nostrae Patriae, penitus ignorat. Sed eadem nomina, cognomen, & insignia ipsi quoque magno sunt argumento ab eadem origine promanare. Accedit, quod inter Familiae monumenta compertum habet, nonnullos in Reipublicae exitio diversas regiones petiisse, quo factum putat, ut isthuc gentilis aliquis contenderet ex longiori intervallo laturus amissae libertatis infortunium. Quod, an conveniat antiquis Diplomatibus, quibus olim Reges Neapolis istam Familiam decorarunt, tuum erit perpendere.

Caeterum elapsis diebus Patriam petii Parentes, & amicos invisurus. Quam porro displicuit Urbem intranti murorum squalor, & fœda Ædificiorum facies! Quam exiles mihi visae Turres, & moles illae, quas olim Cœlo aequatas putaveram!

ram! Credas equidem, me non semel risisse nostri mundi miracula; quodque pejus est, adhuc aliquorum me miseret indolis caeteroqui liberalis, qui nati educatique brevibus Patriae confiniis nonnisi sua collaudare, & extollere didicerunt, ac si quid magnum de exteris Urbibus audiunt, aegre ferunt, irascuntur, ipsamque Romam peregrinitate, ne dicam barbarie plenam sibi fingunt. Sed quemadmodum primo oculos offendit montana Civitas; ita Patriae amor paulatim ab animo Romam abolere, illumque miseris, & oblitis angustiis adeo coepit imbuere, ut jam jam illis accederem, quos paulo ante damnaveram.

Neque haec una tantum res mihi contra expectationem successit. Cloris enim, illa Cloris notior Ovidii Corinna, ut primum in conspectu fuit, adeo displicuit, ut repente vulnus ad cicatricem perductum sit. Haec tibi narrasse sufficiat, ut mihi de adepta libertate gratuleris. Interim pro certo habeas nullam rem esse minimam, quae ad te pertineat, quae mihi non carior sit, quam meae res omnes. Vale, quantum mereris, tuosque labores bene Deus fortunet.

Romae VI. Cal. August. 1688.

ANNIBALI AGAZZARIO

Amico dulcissimo.

XVIII.

QUandoquidem ea mihi facilitate calamus fluit Latinus, qua solet Etruscus, imposterum nonnisi latine scribam, tibique eamdem legem (ni dura videtur) injungo, ut pari stylo respondere non dedigneris. Implere nugis epistolas, & si quid novi accidit reddere, & accipere, nil aliud est, quam perdere chartam, & pretiosissimum omnium rerum, idemque breve temporis patrimonium dilapidare. Neque adeo me rusticum credas, & ab humanae vitae consortio abhorrentem, ut curiositatem pascere vetem ingenuis praecipue adolescentibus, qui novarum rerum suapte natura cupidi esse solent, & in aliena perquirendo studiosi. Sed hoc tantum consilio hanc scribendi rationem ineo, ut uno eodemque tempore & mutuae necessitudinis officiis tenearis, & animum ornes politiori literatura. Natus es bonis avibus, & accepisti a natura docilem indolem, & adeo ad humanitatem factam, ut tibi nimium invidiosus videreris, si colere ingenium tam exiguo labore detrectares. Crede mihi; post unam, atque alteram epistolam leve tibi erit onus scribendi, brevique gaudebis per jocum evadere eruditum. Quod si recusas literas integras latine exarare, saltem partem aliquam conscribe, confice Epigramma, ali-

quid

quid etiam Etrusco idiomate, quod mihi mittas, elabora; demum nulla tibi pereat hebdomada, in qua musis aetate tua dignis non vaces. Quid quaeso turpius, quam tot nobilissimos Juvenes vili in otio feriatos aspicere, nonnullos etiam audire, qui inter malas artes Literas habent? Hac te nota damnare minime ausim; quin etiam modestia tua, facilis frons, vultusque liberalis magno mihi sunt futurae virtutis argumento. Audisti Socratem loquentem; fac ut sis Alcibiades, hoc tantum discrimine, quod ille magnas virtutes magnis etiam vitiis aequabat, tu vitiis damnatis solam virtutem osculeris. Vale, & me ama.

Romae Idib. Aug. 1688.

VICTORI FELICI COUCCIO

XIX.

Literae tuae humanissime scriptae, nescio qua famuli negligentia, redditae mihi sunt triduo serius, quam fas erat accipere, coactusque sum usque in hanc diem officia differre, quae si velis ab animo potius, quam charta metiri, jamdiu tenes, nec amplius calamum meum accusabis. Inauditam morbi originem, progressusque, quibus vexatum audio Tiberium nostrum, vitaeque alterius confinio propius admotum, fateor mihi horrori fuisse cogitanti, quam in lubrico versemur, & quam pessimo loco res humanae sint, cum etiam per jocum jugulari aliquando contingat. Hac

cogitatione aliquantulum erectus ſtylum accepi, & cum muſis (quarum a puero mihi ſemper jucunda, & cara fuit conſuetudo) de fatorum cœca neceſſitate conqueſtus ipſum amicum ſic alloquebar:

Dum te delectat ſpicarum ludere culmo,
Inſontique diem fallis amice joco.
Saeva Ceres flavis in te conjurat ariſtis,
Et claudit medio gutture vocis iter.
Jamque ubi mors non eſt, fatique infida tyrannis,
Si poſſunt vitae munera ferre necem?

Verum quantum doloris attulit intempeſtivus Tiberii caſus, tantum laetitiae, & voluptatis captavi ab epiſtola tua, ubi certus factus ſum de illius valetudine, & quidem ope divina adepta; quod utique ipſa vitae diſcrimina grata efficere poteſt, dum Superos mortalium cura tangi videmus, noſtriſque ulceribus panaceam adhibere. Equidem Florentinae Virgini, cui reſervatum amicum debemus, votivum carmen ſolvere non modo aequum foret, ſed omnes, quibus utimur, urbanitatis leges maxime poſtularent. Verum flores iſti, & eruditum ver jamdudum cœpit maturioribus annis vileſcere, ne dicam ſtomacho eſſe; muſiſque vacare non ſoleo, niſi illis, quae ſatyrico ſale contagia ſaeculi ſolent aſpergere, aut illis, quae moralis Philoſophiae praecepta animo meo ſalubrius inſtillant. Dempto hoc ſcribendi genere Poeſim pulchram amentiam voco, & ingenii laſciviam nec nobis, nec poſteritati profuturam. Adde, quod Forenſibus curis in dies implicor, & guſtum barbarica Juriſprudentia corruptum ad

pu-

puros Apollinis latices adducere non ita facile, ac pronum succedit. Quamobrem sicuti missionem rogo ab hac provincia, ita cum ero aliquid otii nactus, literis tuis eruditissimis, quas olim accepi, pulvere, ac senio deterso, respondere paratus sum, praecipue cum in illis nonnulla occurrant ingenio meo non satis accommodata. Interim vale, & Tiberium nostrum plurimum ex me salvere jube, & sartam tectamque habere valetudinem suam.

Romae III. Cal. Septemb. 1688.

FRANCISCO EPISCOPO CATACENSI.

XX.

GEminae reus epistolae hoc uno calami officio, si pateris, debita mea persolvam, etiam cum solvero debiturus. Hactenus distuli propositum meum partim negligentia, partim occupationibus detentus; non tamen ea, quae mandaveras, neglexi; imo statim ac encomiasticam tuam epistolam perlegi, acceptissima jussa exequi, qua potui, celeritate contendi. Pendens in Cruce nostrae Salutis Reparator a foecunda Bernini mente excogitatus, emptus statim, traditusque fuit Transio,

sio, qui onus suscepit Catacium mittendi quam poterit citius, & commodius. Exemplar vero auratae Thecae, quae in sacello Divi Petri Eucharistiam custodit, typis mandatum nunquam audio, sicuti & Altaria, quae memoras; quanquam haec cum caeteris Romae insignioribus monumentis jamdiu cuduntur, cumque publici juris fuerint, in tui gratiam comparabo, ne videar impune donatis sericis nasum emungere. Verum ut ad literas tuas redeam, ex animo gratulor te optimo, quo fungeris, officio contentum vivere, curasque, & solicitudines, quibus plerunque caeteri animarum Rectores torquentur, tibi in partem voluptatis cessisse. Ea nimirum insita tibi a natura est agendi cupido, viresque ad id potissimum accommodatae, ut otium videatur labor, & delicatae quietis irritamentum. Corruptos Cleri mores ad normam Ecclesiasticae disciplinae castigare pronum fuisse tibi nil dubito, qui optimis illum legibus, & plurimum imitatione tui poteras erudire. Porro difficilius eveniet Cathedralem Ecclesiam eo nitore, ac majestate decorare, cujus tu ipse Archetypum praebes; quippe huic operi non Calabriae censa, jejunique redditus, sed artes Romanae Curiae sufficerent, quae Provinciarum spoliis, & interdum pauperum squalore ditare solet Numinis sacraria. Quod ut saeculo gloriosum, & transalpinis oculis admirandum accidit, ita Deo injuriosum puto, qui humilium corda libentius, quam delubra solet inhabitare, & ad supplicum vota non minus sub frondibus, & culmo Pastorum, quam sub aurea testudine descendit. Sed haudquaquam credas me ab incoeptis tuis dissentiri; imo ni tam longo intervallo distinerer, operam

ram meam libenter locarem, & rudem penniculum coloribus imbutum ad augendum tuae Sponsae decorem meritoriis lineis circumducerem. Jam scis me non semel conductum pingendi causa, praecipue cum Sacrarum Virginum Ædes in Patria recenter excitatas officioso nimis colore delinirem. Bellaria, quibus illic saginabar, Catacii importunus non exigerem, nec quas habebam jucundi laboris spectatrices. Sed haec maturius licebit expendere, cum peregrina navis ad oras Calabriae appulerit, & amicum tuum in littore exponet; nunc Romae vivere juvat, ubi si quid agam scire exoptas, certior sis me, omnibus plane illecebris valedicto, & ab animo abdicatis, exactae vitae licentiam ante Aras saepius damnasse, ac tandem didicisse Juventutis deliramenta maturiori aetati nihil relinquere praeter pudorem, & seram pœnitentiam.

Caeterum Legibus vacare enixius aggressus sum, quandoquidem humaniores literae inter malas artes Romae habentur: jam & ego ut ut novisse incoepi, utrum Filii in conditione positi censeantur vocati, an detrahenda veniat Legatis falcidia, quibus conjecturis a Theorica Oldradi liceat aliquando recedere. Has humerorum magis, quam mentis elucubrationes placet interdum interpolare Ecclesiasticae historiae notitia; paucisque ab hinc diebus in nostro coetu Propagandae Fidei sermonem habui, ut puto, non ineruditum, aut certe non pessime confarcinatum. Primo loco de Pollutione Ecclesiae, unaque de reconciliatione, ejusque antiquis ritibus disserui; secundo expendi, & ad trutinam redegi, an solis Sacerdotibus olim per Corpus Christi purgari liceret; tertio lo-

loco rancidulum nescio quid, & exsuccum more Pastritiano mihi oppositum intactum reliqui, penitusque neglexi.

Domestica demum consuetudo Comitis nostri Camusii, necnon Advocati Tartagliae in dies coalescit amore plusquam fraterno, demptaque mappa in scenam prodeunt iidem joci, ac sales innocui, qui vel a Catonibus risus interdum extorquerent. Habes, Amice, totam vitae meae rationem, & usus prolixiori stylo, quam otium tuum pateretur, forsan in publica commoda nolens huc usque peccavero. Utcunque, urbanitas tua dabit veniam, ut spero, loquacitati meae, jussisque crebrioribus efficiet, ut virium mearum, qualescunque sint, periculum faciam. Vale, diuque te Deus sospitet.

Romae III. Cal. Septembr. 1688.

ALFONSO MARSILIO

Adolescenti incomparabili.

XXI.

NUnquam verius loquutus sum, quam cum rubigine, & squalore deturpatum calamum tibi in praeteritis accusavi. Effluxerunt, amice, flores illi, & veneres, quibus adolescentiam meam ornavi, & genialibus curis solicita Clientum patro-

trocinia, Fori jurgia, cauſarumque tutelam ſubſtitui. Quod ſiquando ad animi levamen, & praeteritae voluptatis recordationem audeo Muſas ad jocum revocare, renuunt, iraſcuntur, & erubeſcunt nudae Virgines inter Bartoli, & Baldi immanes Codices verſari, ipſumque Cujacii nomen, ne dicam Barboſae ſenium altius perhorreſcunt. Quapropter non modeſtiae meae, ſed veritati dare debueras, quidquid pro me ad diluendam ſtyli inſolentiam adduxi.

Quod vero Paridis titulo amicum decorare dignatus es, agnoſco benevolentiam tuam, & gratias ago tibi quamplurimas, licet huic officio me longe imparem agnoſcam. Si tamen arbiter formae a Mercurio monitus forem, matronas meo judicio expoſitas non ut olim in Idae nemoribus veſte nudari cogerem, ſed ex ſolo vultu, oculorumque fulgore modeſtiorem, & forſan aequiorem de pulchritudine ſententiam afferrem. Animorum quippe, non corporum ſpecie delector, & hanc ex vivido colore, ex alacri obtutu, decore, ac urbanitate metiri ſolummodo conſuevi. Has tibi pulchritudinis notas innuere volui, ut paulatim perdiſcas pulchrum a turpi, hoc eſt bonum a malo ſecernere, & ſcias, qua potiſſimum flamma incaleſcere oporteat, ut illa praevia fax virtutis evadat.

Cenſuram tibi mitto alterius ex Italicis tuis Rhythmis cantilenae unica tantum litura in calce neſcio an dicam decoratae, an verius deformatae. Alteram non deerit tempus maturius limandi. Hujus quaternaria ſatis elegantia ſunt, & concinna. Primum ternarium ipſe Franciſcus Petrarca ſe dignum putaret. At ſecundum primo non

re-

respondet, quin & antecedentibus parumper observari visum est. Quid enim superius jactas suspiria oriri ex igne, quam Dolabella ab oculis effundit:

L' addolorato mio grave respirò
E' parto, o bella, dell' immenso ardore
Fatto dagli occhi tuoi, che a' miei s' unirò:

Postea vero eadem suspiria: *e 'l mio respiro, che 'l tuo gelò avvivò ec.*: ex gelu conflari fateris? Haec sibi contraria esse, & sibi invicem oppositis qualitatibus destrui, quilibet, ut credo, Peripateticus facile confitebitur. Praeterea non satis feliciter dicta sunt, nec aculeus emicat, ut decebat. Accipe nunc, quae loco illius, si tibi videtur, reponerem:

Dunque se a te n' invio nunzio del core
Del mio piagato sen mesto sospiro,
A te stessa perdona il mio dolore.

Haec ut clariora, ita etiam principio magis accommodata, & consonantia existimo; sed judicium meum in humanioribus literis quaeso parvi facias.

Gratulor te Zoili familiaritati addictum, dummodo aliud animae tuae dimidium vacet Polieno, utramque vero partem, hoc est totam animam sibi vindicet Dolabella. Aut Zoilus errat, aut Logicae defectu dividendi regulas ignorat. Etenim geminum amorem agnovisse oportebat, alterum scilicet, quo uterque nostrum diligit Dolabellam, & hunc Ledaeis fratribus assimilari re-

ćte

cte pronunciavit; alterum, quo te profequor, & hic cum illo Socratis in Alcibiadem velit nolit optime comparatur.

Difcedat, evadat, erumpat, & ulterius abeat in malam crucem Gallica lues, cœlumque Patrium liberet halitu plufquam lethali. Utinam & hinc migraret, fed ut audio peffimo loco res funt, & jam a Portu Maffilienfi maritima Claffis inftructa fecundos ventos moratur ad oras Romanas quamprimum appulfura.

Tu interim humanae politiae, Regnorumque viciffitudinum parum folicitus ne quaeras

Quidquid in Arfacia Pacorus deliberat Aula;

Mart. lib. 9. Epigr. 35.

fed Palladi addictus utere fecurus in otio mufarum ifta, quam tibi natura dedit, optima indole, & bona, quam tibi facis, mente; illorumque confortium evites, precor, qui inter malas artes literas habent, nec aliam in amando voluptatem praedicant, nifi quae in lupanaribus emi folet, quaque brutis animantibus fimiles evadunt. Amores, & illecebras Juventuti interdicere perinde ac foret, fiquis undas mari, calorem igni, & lucem foli vellet adimere; abfit, ut tibi, quod florentes anni concedunt, Catone feverior abripiam. Audi, quae olim meos ardores increpanti latino carmine reponebam:

Hoc

Hoc tu flagitium parce mordere memento,
Si tibi censuram calami meruisse videtur.
Nam mea non vili nata est sub fornice flamma
Sordida centones inter, fumumque lucernae,
Sed Deus ipse meum fixurus arundine pectus
Tela manu legit nitidis servata pharetris,
Assirioque recens medicavit vulnus amomo.

Claudam itaque epistolam hoc salubri documento, videlicet ut naturae infirmitatem semper *in* deterius pronam detineas. Iram, libidinem, ebrietatem, caeteraque non minus grandia, quam turpia facinora ignobilioribus animis relinque. Vale, &, si fieri potest, me tenerius ama.

Romae Idib. April. 1689.

EIDEM.

XXII.

SI minus jucundae mihi essent literae tuae, quererer, quod in praesenti nullas accepi; sed quia jucundissimae sunt, patior libenter longo expectationis dispendio illas comparare. Atticum suum rogabat Cicero, ut scriberet quidquid in buccam venit, dummodo scriberet. Ego vero mihi ipsi injuriosus postulo, ut ab officiis tuis humanissimis interdum cesses, dummodo jacturam voluptatis uberior fructus compenset. Dif-

Diffiteri tamen non possum me saepiusculе, & importunius, quam par erat, interpellasse Tabellarium, ut si quid mei juris afferret, non longius cupidum torqueret; & quamvis aliquid darem occupationibus tuis, aliquid amoribus, aliquid etiam rei domesticae curis, persuadere animo meo non poteram nullas a te mihi literas missas, & forsan (quod Dii avertant) te morbo laborantem putavissem, ni Parentis tui altum hac de re silentium meliora sperare, & credere coegisset. Ego vero licet negociis plenus, & alienis solicitudinibus detentus imperare calamo non potui, quin tibi aliquod amoris, & fidei pignus persolveret; quod utique facerem etiam, si me Pontus, & ultima Thule haberet, vel inter ferrea vincula captivus novissima supplicii momenta ab ignavo tortore expectarem.

Ut valet Dolabella? Ut meminit nostri? Tui oblivisci certè non potest, ni velit & humanitatis oblivisci. Talis enim es, talemque te facit virtus tua, ut tuto ames mutuae securus benevolentiae. Equidem communem amicam tecum habere periculosa res esset, & zelotypiae plena, ni illam tui causa amarem. Patior itaque te rivalem, quia ut amicum diligo.

Ecquid agunt tenerae illae Virgunculae, quibuscum erudita lascivia ludere consuevisti? Vellem, amice, ut in hoc Parnasi itinere delectum haberes auctorum, quos sequaris, ut inoffenso pede culmen attingas. Ampullas, & verba sesquipedalia, quae apud imperitum vulgus tantum laudis hac nostra infelici aetate adepta sunt, longe arceas velim, & ab omni barbarie te purum serves. Hac de re longius, & commodius scribere exo-

pto; nati videlicet sumus in ea regione, ubi nil vendibilius, quam metaphorarum annona, nec sapiunt corruptis palatis nisi quae vacuus sonus, & inanis tumor inflavit.

Caeterum me tibi commendo, rogoque, ne patiaris amicum intabescere desiderio tui, poenamque meae viduitatis deliniat literarum frequentia. Vale quantum mereris.

Romae XII. Cal. Maj. 1689.

EIDEM.

XXIII.

ABsit ulla suspicio desertae fidei inter amicos, quos communis amor, & amica Pallas communione virtutis copulavit. Culpare indolem tuam (qua nil novi amabilius) nefas crederem nullo piaculo redimendum. Vaca, mi carissime, ut par est, Genitoris imperiis, genio indulge, & abstine a calamo, quotiescunque aut temporis angustiae, aut mens amoribus occupata otium non permittunt. Patiar libenter tuis epistolis, videlicet incredibili voluptate carere, dummodo tuae benevolentiæ securus vivam, nec alium quemquam in tui amoris consortium accipias, nisi illum tibi antea probavero.

Gratulor, atque ex animo tibi gratulor rivalis adventum, qui certe apud Dolabellam nil obtinere poterit, nisi ut te ardentiori cupidine prose-

sequatur. Felix amator, quem ipse rivalis commendat! Porro nil opportunius tibi accidere poterat hac comparatione, praesertim cum Matronam colas optimi delectus, quae pulchrum a turpi, & amabile ab inamabili secernere callet. Igitur cum humaniores obtutus venari cupies, nullum tuo lateri comitem adjungas precor praeter ineptum hunc, & debilem procum.

Caeterum vivido laetitiae sensu animum meum perculit epistola tua, ubi audivi te in proxima Corporis Christi celebritate Urbevetanum Oppidum invisurum. Ecquis enim, licet ferreus nodus, quæ licet arctissima custodia Polyenum cohibere poterit, ut illuc mutatis ad celeritatem equis non advolet? Peccarem in amicitiae leges, & amorem meum vilis ignaviae reum efficerem, si posthabita tam commoda occasione, negligerem carissimum sodalem amplecti, satiari vultu, fruique osculis usque ad invidiam felicibus. Precor Numina, ut te meque simul incolumem in illa usque tempora servent.

Parens tuus nobiliori ardet igne, quam forsan credis, ac siquando viles hasce Virgunculas, & meretricio dedecori initiatas sectatur, non illius amori, sed libidini tribuendum. Puella, quæ potest emi, nunquam amatur; solis Matronis, & illustribus Foeminis princeps ille humani cordis affectus debetur.

Pisas te conferas licet, & patior minus aegre te longius a nobis discedere, quia illuc iturum jamdiu praevideram. Nullas a me literas expectes, quandiu a Patria aberis, non quod pigeat, ubicunque locorum vivis, tui meminisse, sed quia vereor, ut ad manus tuas tute perveniant. Si ta-

 men

men ex humanitate tua ſcripſeris, nil erit mihi gratius, nihilque acceptius. Forſan eadem die, qua tu Senis diſcedes, & ego Romam deſeram. Jam comparavi quadrigam, viaticum, & quod praecipuum eſt, feſtivos itineris comites. Si quaeris quo vadam, Centumcellas peto luſtraturus aggeres, & nova Arcis munimenta, quae timor Gallicae Claſſis recenter excitavit. Quinque dies abſumam in peragrando oppida, villas, & caſtella, quae Romanum littus frequentant, mox iterum Civitatem, Aulam, Curiam, & Forum repetam.

Vale, mi cariſſime, & ita vive, ut ſcias dimidium animae meae tecum eſſe.

Romae X. Cal. Maj. 1689.

EIDEM.

XXIV.

SÆvam neceſſitatem accuſo, quae immaturo, ne dicam acerbo funere quidquid boni, acceptique habueram, penitus abripuit; nec aliud mihi ſupereſt quam dolor, & lachrymae, quas diu noctuque fovendo in Parentis locum ſubſtitui. Interim animi tranquillitate, quam mihi decreta fatorum inviderunt, fruere, dum licet, & amici crudo adhuc vulneri panaceam adhibe. Vale.

Romae Prid. Cal. Maji 1689.

EI-

EIDEM.

XXV.

VUlnus, quod alte praecordiis inhaesit, & totam animam perfodit, non potest, amice, tam cito obducere cicatricem. Ingratus filius, qui udas palpebras in defuncti Parentis officium non adducit, & amissae rei pretium non testatur solatii tarditate. Vera sunt, quae narras, quaeque mihi ad leniendum dolorem adfers argumenta, sed animus moerore confectus nescio qua tristi voluptate sibi ipsi inter gemitus blanditur, & secundam orbitatem putat lachrymas abstergere. Vide igitur, quam difficile sit curationis genus, in quo ipse morbus placere incipit aegroto.

Diu est, quod carui jucundis literis tuis, & inter Coeli plagas, quae me petierunt, amicorum quoque silentium enumeravi. Si me amas, ut dicis, si pateris amari, ut cupio, quaeso ne parcas calamo, neque sodalem conficias verborum inopia. Tua audire quam maxime cupio, & in literis (si fieri posset) ipsam animam legere peroptarem.

Jam tibi comparavi flabellum ad aestivi temporis injuriam; amentum vero ad pilei ornatum tamdiu emere distuli, quamdiu audiam, quinam color tibi potius arrideat, & sericum mavis, an aureum (ut mos est). Haec vero, & quaecunque mihi jusseris, velim in mercedis, non bene-

neficii locum habeas, cum tuum ſit exigere, non rogare.

Caeterum Puerum Cupidinem una cum Apolline tibi commendo; uterque te dignus, tuque illis. Vale animae dimidium meae, & omnia tibi ex voto procedant.

Romæ III. Id. Maji 1689.

HIERONYMO BELLANTI.

XXVI.

ACcepi literas ſcriptas humaniſſime, quibus recentis vulneris dolorem ſatis officioſe contrectabas, tantique haud immemor beneficii ſtatim acceptis reſpondere non diſtuli; ſed famuli negligentia, ſeu Tabellarii incuria, ſeu etiam ſors ipſa mihi impoſuit, effecitque, ut in leges urbanitatis, & amicitiae innocens peccaverim. Quoquomodo res ſe habeat, ſcio noſtrae neceſſitudini, meaeque in te benevolentiae non defuiſſe, & nunc alieni criminis, aut invidiae poſtulari.

Caeterum ſcribendi materiem, quae mihi forenſibus negociis irretito non ſuppetit, ab ingenio tuo foecundiori percontor, & expecto. Hoc unum rogo praevia cautione, ne nimium delicatus offendaris barbaris Curiae vocabulis; ſiquidem haec avaro palato jam ſapere incipiunt pluſquam Plautini ſales, & veneres Tullianae.

Gamuſſi, Tartaglia, Stufa, Tai plurimam ex me tibi ſalutem reddunt, doleoque non ſemel te abeſſe dulcibus, & eruditis colloquiis, quae cum Stufa praeſertim ſub noctem miſcere conſuevi re-

recreationis gratia: hoc tui desiderium non mediocri voluptate delinies, si ansam dabis pulchrae alicui controversiae, & communione virtutis propius accedes. Vale.

Romae III. Cal. Jun. 1689.

ALFONSO MARSILIO.

Amicorum dulcissime

XXVII.

SI tuo silentio irascerer, barbarus forem, & omnis pene humanitatis inimicus, dum illud festivo itinere, & pulchro Matronarum contubernio, non mei oblivione ortum testaris. Itaque jacturam haud dixerim, quae tibi in foenus computatur. Oriantur usque geniales dies non absimiles illis, quas in Ædibus Patrui tui amplissimi traduxisti, & utere formae, & Juventae favore:

Dum tibi florentes anni, pullaeque sorores
Non exoratae dum torquent stamina fuso.
Nam pereunt soles, atque omnis scribitur hora
Inter Ephemerides vitae, licet illa serena
Non fuerit . . . .

Unum rogo, ut inter hosce lusus Octaviae Matronarum pulcherrimae, nostraeque olim flammae mea causa officiosissime salutem dicas, & operam li-

licet absenti large spondeas non alium adhibendum fidejussorem, quam ejusdem venustatem.

Mihi quoque risus ciet Satyri zelotypia, vesanusque furor, quo te fratremque tuum ad Orcum poscebat. Quaeso ne deseras amorem istum prosequi; pietatis opus est, non alieni thalami injuria teneram, & infelicem Puellam a faetidis Hirci halitibus liberare.

Cognatus tuus litibus collo tenus irretitus nescit adhuc, an otium habebit celebrandi Urbeveteri festum diem Corporis Christi Mihi tamen jandiu iter indixit, & expeditis aliquando negociis una simul illuc ire jussit; sed atra vestis, & Parentis Manibus debitus honor, necnon famae apud vulgus studium ab hisce Feriis invitum abesse cogunt, ne videar pro tanto infortunio leviter indoluisse laetitiam intempestivam aucupando.

Tabellarius una cum literis reddet tibi flabellum, in quo te ipsum, tuosque amores depictos leges; amentum vero caerulei coloris, ut optabas, & lethifero zelotypiae veneno imbutum accipies.

Caeterum si me fors invida a tuis amplexibus distinet, cur non adjungeris Cognato; Romamque, & amicum visendi tam facilem occasionem non captas? Eja age, hic te opperior. Cura, ut quam rectissime valeas.

Romae III. Cal. Jun. 1689.

HIE-

HIERONYMO BELLANTI

XXVIII.

QUanquam jucundissimis literis tuis nova semper, & grata apud me fiat meritorum tuorum accessio, & nemo sit, cujus officiis me tam esse devinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam; rogo tamen, ut nunquam velis beneficiorum tabulas inspicere, & rationes mecum inire, alioquin turpissimus decoctor ad Janum digito demonstrabor.

Quod mihi Augustinum Tai commendas, laudo humanitatem tuam, doleoque res non adeo mihi prosperas fluere, ut a Viro probo, & ingenuo propulsare possim invidiam fortunae. Attamen quod possum perutilibus consiliis medicinam adhibeo constantiae pene fractae, & meliora sperare in dies suadeo. Probitas laudatur, & alget. Hi sunt praecipui, si unquam alias fuere, saeculi foedissimi mores. Si te longius Romae detinuisset occupatio, nedum fastidium creasset, sed porro miserationis lachrymas extorsisset vilis ubique virtus pannosa latitans, & jam jam Aedilem metuens, ut jam intelligas, quam sit verissimum illud

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane,
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

Cae-

Caeterum noſtro conventui acceſſit Juvenis quidam Neapolitanus omni virtutum genere, & praecipue antiqui Juris peritia ornatiſſimus. Primus ego peregrinum ingenium deprehendi, mox Stufae noſtro theſaurum indicavi; nunc ſocietate arctiſſima mutuo devincti veſcimur quotidie meraca virtute, immortali videlicet animorum cibo, & opibus Philoſophiae bonae menti Aram excitavimus. Si cupis litare Numini pleriſque mortalium ignoto, & augere literarium Sacerdotium, quaeſo, ne parcas calamo. Expecto, ut literis tuis melior fiam. Vale, & me ama.

Romae Cal. Septem. 1689.

JOANNI BAPTISTAE BRANCADORIO.

XXIX.

A Parente tuo (quem prae caeteris colo, & obſervo) miſſum mihi fuit exemplar poeticae exercitationis, ſeu verius ingenii tui ſpecimen abſolutiſſimum; credo, ut mecum voluptatem divideret, quam ipſe merito hauſit e Filio Muſarum candidato, & ad politiores literas ſedulo incumbente. Si hoc egit conſilio, rem attigit. Quippe nil mihi jucundius accidere poteſt, quam Juvenes audire bonarum artium cupidos; eos praecipue, quos mihi jura naturae, ſtudiorumque ſimili-

militudo propius conciliant. Praeterea non modice delector, quoties Aulae officiis fatigatum animum Musarum amoenitas recreat, & horrida Curiae vocabula, Forique barbariem puritate lectionis delinio. Hoc sane mihi praestitit tuus hic Pulchritudinis, & Castitatis triumphus, quo Judithae laudes feliciffime adumbrasti. Siquidem in illo ingenii alacritas quaedam, verborum concinnitas, ac mira sermonis perspicuitas elucet. Titulus praesertim supra modum arridet; duas enim res difficillimas conjunxisti, & quibus rara solet esse concordia, formam ac pudicitiam. Patere tamen, ut liberius tecum agam, & quidquid in hac elucubratione non satis placet, candide, amiceque animadvertam. Nil solet esse Reipublicae literariae perniciosius adulatoribus, qui, si forte palpantibus verbis irrepant, Juvenumque mentes splendore laudum hebetare incipiant; actum est. Quisque sibi Maro videtur, ac Tullius. Ego tamen nunquam tecum utar hac arte suaviter nocendi; maloque rusticus nedum inurbanus videri, quam comis blandusque in publicum bonum peccare. Ut igitur ad rem veniam, in primis scribendi genus, si non damnare ausim, certe probare non possum. Illud enim a priscis Authoribus prorsus alienum, brevibus metris, seu verius effractis cantiunculis refertum, Etrusco potius, quam Latino sermoni congruere videtur. Ego quidem meo judicio semper putavi Romanae linguae dignitatem musicis modulis dehonestari, atque prostitui, nec tam nobili Matronae convenire istas vocis illecebras, auriumque vacantium blandimenta. Adeout vix patiar in Ecclesia lenociniis hujusmodi cani Psalmos, tanquam sanctitati divine-

norum Vatum minus decorum, & nescio quid referens de horcheſtra. Adde, quod inanis prorſus futiliſque labor videtur torquere ingenium in reperienda verſiculis eadem verborum deſinentia; utque conſona invenias verba, ſaepe diſſonam ſententiam apponere. Cum igitur ſcribere aliquid meditaris, ſcribendi genus ſeligas oportet, quod dignitatem aliquam praeſeferat, ipſiſque exprimendis affectibus adjumento ſit. In hoc ſita eſt eloquentiae ſumma, ut animos auditorum imperioſe regat, ac moderetur. Quod duobus praecipue rebus aſſequimur, ſtylo, & materia. Haec vero ita debent eſſe connexa, ac mutuo confoederata, ut ſublime argumentum humili ſtylo tractare nunquam praeſumas. Si Medeam in ſcenam adduceres ſparſis crinibus, diſcinctam, nudato enſe ferocem, filiorumque jugulo imminentem; interim vero, dum ſpectator haeret attonitus atrocitate criminis, illa rhythmis & cantiunculis in eumdem ſonum religioſe deſinentibus molliſſime loqueretur, quos putas affectus excitaret? Aliis neſcio; mihi certe cachinnos. Non ſecus Aſſirium Ducem, barbarum, & immanem Bethuliae muris inhiantem, delicatulis verbis cantillare, ridiculum prope eſt. At dices; hoc propoſui, ut Muſicae inſerviret noſtra elucubratio. Attigiſti metam; ſed hoc ipſum damno propoſitum. Qui pingendis tabulis excellit, & nedum hominum, ſed animorum quoque imagines feliciter exprimit, ſi ad figulos ſe conferat patellas, & urceolos coloribus liturus, nonne opus ſuum probe abſolveret? Quidni? Attamen merito improbares artificem, qui cum ſaeculorum memoriae ſe commendare potuerit artis nobilitate, in vili argilla immoratus

co-

coquis, & cauponibus innotescere maluerit. Haec de scribendi genere, quod tibi proposuisti, satis sit perstrinxisse. Caeterum quae inter Holofernem, ac secundum Ducem facis esse colloquia, prolixa nimis apparent, in eadem sententia morosa, & quae de vestigio nunquam egrediantur. Properet oratio necesse est, novasque semper imagines adducat, ut audientium animos varietate delectet. Postquam semel dixit Holofernes, famae Assiriorum praestare Hebraeum populum ferro mactari, quam siti languescere; supervacaneum erat idem saepius ingerere, ipsoque in limine argumenti inopia te laborare ostendis. Neque satis laudare queam exametro carmine exprimere, quod oratione prosa satius erat, & ad Musicam conducibilius expressisse. Siquidem exametrum inter versus longissimum canoram aegre patitur dimensionem. Verum quid te nugis meis diutius moror? Qui nunquam latine scribere, ne dum praecepta tradere consuevi? Dabis, amice, hanc licentiam tuae erga me benevolentiae; alioqui piaculi loco futura esset Epistola. Tu tamen agedum; cumque habeas acre ingenium, facundiam, Latinique sermonis peritiam, utere hisce bonis, ut par est, ac noli in venandis muscis (ut mihi accidit) vividiores annos consumere. Perge assidua variaque Authorum lectione mentem saginare, & in venas medullasque purissimi idiomatis succum transfundere; ut cum scribere oportuerit, e pleno fonte redundet eloquentia. Scripturientes hoc saeculo audacis ignorantiae plurimos novi; scribentes, vix unum, aut alterum. Adeo difficile est cum ingenio prudentiam quoque conjungere. Tu, qui nondum confirmata aetate polles utraque dote, fac, ut Pa-

triam,

triam, Amicos, & me praecipue tui expectatione non fraudes. Interim rerum tuarum maxime solicitus, prospera cuncta ut tibi eveniant, Deum immortalem enixe precor. Vale.

Romae V. Id. Aprilis 1695.

In Epistolis, quae mox consequentur, dies & loca apposita non sunt, quibus, & ubi conscriptae ab Auctore fuerunt.

ALFONSO MARSILIO

INGENUO ADOLESCENTI, ET AMICORUM CARISSIMO.

XXX.

Literae tuae omni officiorum genere cultissimae tam larga voluptate animum meum perfuderunt, ut Parentis, Patriae, amicorum (quodque magis est) tui desiderium aegre minus ferre incœperim; & jam non doleam ab amico dulcissimo abesse, quem mihi mutui amoris commercia praesentem faciunt.

Equidem malis avibus a paterno limine discessi, dum te amplecti, & supremis osculis atterere nequaquam sors invida permisit; nec satis laetor confecto quam prospere itinere, quin aëris serenitatem, equos, institores, cisiumque nimis fidelem accuso; omnia videlicet conjurarunt, ut citius

tius

tius a rebus mihi cariſſimis avellerer, ipſeque favor fortunae injurioſus fuit.

Falleris, amice; ecquid ſolatii in ampliſſima licet Urbe captare poſſum, ubi Matronae ceruſſa oblinitae, & colore non ſuo pellucidae ſtomachum, non affectus irritant? Delicatae nequitiae ſemper fui, & licet brevi me familiariter uſus ſis, optime noſcere poteras oculorum meorum faſtidium, & in judicio formae aequitatem ſententiae. Qua de re mihi crede recens a Patria, & candidis Matronarum illecebris adhuc plenus a fucatis hiſce faecibus non minus abhorreo, quam ab Harpyis, Gorgone, Scylla, & ſi quid foedius ſomniavit antiquitas. Periit, amice, illa dies vere albo ſignanda lapillo, quam in ſororiis aedibus mecum egiſti inter luſus innocuos, & honeſtam petulantiam, ſed adhuc oculis meis quotidie obverſantur trabes illae, quibus cannabe ſuſpenſas pulcherrimas nurus ſeſe calcibus impetere, nec ſemel poſitos in aequilibrio amores noſtros aſpeximus. Gratulor tamen mihi ſolum periiſſe haec ſolatia; tibi, ut audio, non ita evenit, qui elapſis proxime diebus in ſuburbano Dolabellam piſciculis laute excepiſti, & loci commoditatem nactus flammas, quas ipſa excitaverat, detegere aggreſſus es. Felix, qui tam pulchro igne propius accenderis! Laeta tibi omnia, ac pacata auſpicor ea votorum fiducia, quam mihi creat ſenilis indoles tua, frons liberalis, & animus peregrinis moribus indutus. At conſilium in praeſenti a me petere nil aliud eſt, quam ab aegroto medicinam expectare. Verum ſi quid maturior aetas, & longum experimentum tyroni prodeſſe poteſt, hoc maxime tibi ſuaſum velim, ut mode-

destia, humanitate, caeterisque, quibus flores, virtutibus expugnare Dolabellae constantiam aggrediaris.

Disce bonas artes, moneo, Romana Juventus.

Ita ajebat olim celebris ille Amorum Praeceptor; hoc tu documento instructus, ut placeas illi, quam deperis, Musarum consortio, & bonarum artium cultura amores tuos fac instruas. Ne dubita, si cum virtute amorem conjunxeris, fortunatus eventus sequetur ubique, nec unam Dolabellam, sed quaecunque tibi post illam placuerit, amoribus tuis facilem, ac pronam habebis.

Caeterum, quod tibi scribam, nil novi mihi est, nec forsan erit imposterum; etenim ab Aula, vulgique conventibus semotus mecum habito, Jurisque studiosus ad Fori labores incumbo: interim vero amicitiam tuam colere quammaxime cupio erudito scribendi genere, nec mihi res ulla gratior in hoc exilio accidere poterit, quam tua audire, mea reponere, & tenera animorum mixtura ita tibi conjunctum esse, ut arctiori necessitudinis vinculo obligari, si tecum in Patria degerem, nequaquam possem. Diu est, quod Numina deprecabar, ut mihi compararent amicum patricio sanguine prognatum, facie liberalem, aetate adolescentem, & ad literas apprime factum; sed hasce dotes uno in corpore copulatas (credo naturae invidia nimis avarae) nusquam datum est invenire, nisi apud te, qui haec omnia ita animi tui magnitudine amplecteris, atque auges, ut nesciam, an majora Socrates in Alcibiade suo desideraverit. Quapropter velim tibi persuadeas nemi-

minem esse, cujus meritis me tam esse devinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam; omnique studio curabo vincere meis officiis cogitationes tuas, quas mihi tam suavi stylo communicas, ut nihil fieri possit amabilius.

Hoc unum rogo, & prudentiae tuae vehementer commendo, ut literae, quascunque tibi scripsero, apud te pereant, nec ulli secreta nostra communices.

Postremo calamum excusabis situ, ac rubigine obductum, & barbaris Curiae vocabulis infectum; quod si frequenter epistolas tuas accipere dabitur, puriori sermone loqui perdiscam imitatione tui.

Vale amicorum carissime, & aetatem tuam Musis dignam, & amoribus bene Deus fortunet. Iterum vale, & me ama.

JULIO PLACIDI.

XXXI.

Accepi ex tabellis Pomponii plena tuae urbanitatis officia. Gratulor, quod nobilibus curis feriato aliquando obrepat servorum memoria; erubesco, quod praecoci urbanitate mei styli desidiam sollicitasti. Jamdiu quidem scribere meditabar, sed malui mihi silentio, quam tibi literis molestum esse. Praeterea tui desiderio impotens genio meo adulabar te nondum Romam concessisse, sed in Juventutis disciplinam fatorum

indulgentia Patriae reſervatum. Itaque modo inter Academiae umbras errabam, ut bibulis auribus tuae eloquentiae nectar haurirem, modo in porticu Lycaei ſpatiabar, ut Stoicae ſeveritatis exemplar excolerem. Sed cum vidua Gymnaſii Echo vix dubio murmure tuum nomen redderet, tunc animo patuit amabilis error, nec amplius potui moerentem tanta jactura fraudare. Quanquam te abſente ſolitudinem mulceo, dum in Pomponio vicariam tui virtutem agnoſco, & ſpecioſa larva perſonatam quotidie tuam indolem adoro. Caeterum enixe gratias ago amori, quo me ad literarum emporium invitas, doleoque ab illius aſpectu ingenii male culti crimine diſtineri. Quippe diu Cirrhae in otio Muſarum ubere lactata delicato quodam ſenſu mens abhorret a duriori gloriae ſtimulo, & illecebris fracta canoram ſegnitiem deperit. Sed aliquando compedes effringam; licet enim nunc ab hujuſmodi lenociniis fugam aperto voto non exoptem, tamen coaleſcit in pectore aliquid ſimile deſiderio, & quaſi praeparatio affectus. Tu interim fruere domeſtica virtute Purpurato in Principe, cui ſtudio magnanimo inſervis, & ſi fortunam, aut propius Numen ne rum calamitatum poenitebit, quae ſequar, veſtigia generoſus imprime. Vale.

DE-

DEFENDIO VECCHI.

XXXII.

VAletudinem meam deprehendis amice, pharmacum non propinas. Morbus, quo torqueor, amor eſt, & amor Virtutis, ut recte opinaris; ſed haec venuſtiſſima puella Deo cognata mortales amplexus adeo dedignatur, ut jamdiu me cogat irritam voluptatem inhiare, & nil profuturo deſiderio tabeſcere. Splendidae huic intemperantiae addictus dies noctesque exegi, ſuſpiria demum votaque conſumpſi; nec tamen amatoris ſui miſerata eſt caeleſtis Virago, aut ſaltem conniventibus oculis ardores meos delinivit. Virgilianus Corydon, ut puerum Alexin, quem deperibat, in ſui amorem pelliceret, ajebat:

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare. . . . . .

At ego, cum pacato omni ambitionis tumore me ipſum in ſpeculo conſcientiae perluſtro, quae flagitia, quae dedecora medius fidius non aſpicio? Quapropter, Amice, non miror non licere pudico conjugio miſceri; neglectuſque procus non alienum faſtidium, aut ruſticitatem, ſed vitia mea, & deformis animi mendas accuſo. Tuum eſt igitur, ſi meis infirmitatibus tangeris, medicoque fungi deſideras, me ipſum ſalubribus praeceptis

imbuere, quibus imposterum concinnata mens honestissimae divinaeque Puellae minus displiceat.

Caeterum non mediocriter doleo audiens te quamplurima per negocia distentum mille curis dividere tempus auro pretiosius, & cujus unius, ut inquit Seneca, honesta avaritia est. Te tamen domestica res, & necessariae occupationes a vacatione tui legitime excusant; me vero, qui modo in laudanda Praxitelis Tabula, modo in aere Corinthio dignoscendo totus sum, qui voti impos futuri desiderio laboro praesentium taedio, qua venia dignum putabis?

Quod autem me Venetias ad celebranda Saturnalia tam comiter invitas, urbanitati tuae gratias ago; neque enim indigeo novis ad peccandum irritamentis, vitiisque peregrinis; potius te in Urbe morabor, ubi exemplo tuarum virtutum laevigare animum meum vehementer exopto. Vale, & me ama.

EIDEM.

XXXIII.

PArcius utere in posterum aulico stylo in commendandis epistolis, quas tibi conscribo; etenim licet animus naturali gloriae libidine accensus pulchris quandoque mendaciis delectatur, utiliori tamen voluptate perfunditur, cum in speculo veritatis nullo adulationis pigmento fucatum se ipsum agnoscit. Periculosa res est inter amicos laus, cum per aures sensim blanda lues illa-

ba-

batur, cordique vesanos tumores creet. Haud mentiti Narcissi nimium nos ipsos deperimus, & facile conscientiae nostrae blandimur vera esse elogia, quae plerunque nonnisi officiosus calamus exarat. Satius igitur erit, te animi mei morbos damnare, ac perfringere, quam palpantibus verbis contrectare. Monstra sunt, quae in aula regnant, non virtutes, ut praedicas. Ira, invidia; & amor praecipue pessima oligarchia regnantes principes rationis sibi divisere dominium. A teneriori quippe aetate mille illecebris imbutus animus diu servabit odorem amabilis veneni; & licet jam fluxerint adolescentiae, videlicet amentiae anni, adhuc tamen nulla cicatrix cupidinis vulnus obducit, nec aegro cordi temporis medicina opitulatur. Quid ergo? Patere me tibi mentis ulcus detegere, ut illud consiliorum panacea delinias: non enim improbitati nomen dedi; aut inter scorta aetatem sordide traduxi. Peccavi, & usus sum hoc misero humanitatis privilegio, sed vel in ipso crimine superbus nonnisi speciosae libidini vacavi. Haec te ignorare nolui, ut opportunum pharmacum propines, sciasque Apollinis arte maxime opus esse, ubi praecordiis mollis simul, & ambitiosa cuspis insedit.

Haec e re mea; nunc autem audire cupio, quibus studiis detinearis, verusque necne sit rumor proximi tui reditus, quem Hilarius sparsit, Milviusque audacia loquendi confirmavit. Fac quaeso insonti culpa utrumque mendacem, ut dum te brevi reducem dicunt, praesentem intueantur, & amicorum vota praeveni anticipatione laetitiae.

Superest tibi narrare erumpentis ab alveo Tibridis insolentiam, quae paucis ab hinc diebus

mediam fere Urbem lutulentis undis fœdavit, sed temporis angustiae non illepidam caeteroqui narrationem jugulant. Vale.

ANGELO VENTURI

XXXIV.

Tandem resoluto in pluvias caelo Fori clamores devovi, quadrigisque superbe devectus Ariciam petii, ut Chisiae fortunae monumenta non solum admirarer, sed illius beneficentiam experirer. Videres, Amice, in amoena camporum planicie Collem, in Colle urbem ad naturae voluptatem, hominumque delicias extructam, & adeo laetis undique prospectibus vallatam, ut arcem curis inaccessam putares. Modesta aedificia, sed quadam eleganti rusticitate formosa passim exsurgunt; Aedes tamen Principis, recenti structura spectabiles, Domini sortem testantur, laxataeque in cubicula quamplurima ad hospites excipiendos habiles, & ad regii luxus splendorem videntur assurgere. Hoc ego limen (limen, quo nulla erit mihi carior memoria) sub noctem attigi, & vultu humaniori, quam conditionem meam deceret, exceptus, deductusque amica manu in penetralia ea vidi, ea delibavi, quae nulla unquam aetas ab animo meo, nulla oblivio delebit. Stabant Principes Foeminae, Purpurati Proceres, Magnates, Equites, festivisque invicem fabellis, lusibusque tempus terebant. Accessi pavidus, fateor, sed timorem delinivit praecipua Matronarum urbanitas;

tas; mensaeque, quae in procinctu erat, admotus visus sum pene inter Deos adoptari. Lances peregrina saporum mixtura conditi, caecuba toties carminibus decantata, & praeterea nobilis Pincerna, qui Aethiopico pene gyro comam crispaverat, me humanae sortis oblivisci suadebant.

Haud equidem in illo rerum statu occurrebant animo forensis causae tumultus, exciderant mente Clientum obsequia, & audebam barbaro nimium voto ipsam virtutem damnare. Caeterum expleta dapibus fame, seu lascivia lactata, in cubiculum me recepi, plumisque delicatis totum corpus tam suaviter immersi, ut somnum veterni consanguineum non matutina avis, non ministrorum discursus turbaverint. Angele, fruor adhuc liberali hospitio, & plurium dierum curriculo frui licebit, donec me Romam ingrati Curiae strépitus, & studia Clientum revocabunt. Interim utor Fatorum indulgentia, nullaque hora elabitur, quam genio meo (hoc est honestae voluptati) servire non cogam. Vastissimam regionem, & Oppidis non longo intervallo inter se dispositis confertam quotidie huc illuc aurato cisio vectus perlustro; Rura omni naturae, artisque cultu speciosa placerent, ni illorum accolae formosissimae prius sibi hanc admirationem vindicarent. Ulterius progredi nefas est, calamum largum atramenti aegre cohibeo. Non deerit tempus, amice, ea tibi narrandi, quae fragilem papyri fidem experiri metuunt. Interim expectabo, siquid novi Senis acciderit, cupidus insanos meae Cloridis amores audiendi. Ne dubita; fidelissima Famuli manus tabellas ad me deferet eo modo obsignatas, quo tu mittes. Illum Romae morari jussi hujus tantum officii causa, & ubi

primum literas acceperit, citato equo Ariciam contendere. Hoc molitus sum, non modo ut fortuitum casum evitarem, sed ut negotia sollicitudinis plena simularem, & hoc splendido mendacio alienae curiositati imponerem. Vale, & nostro Reverendo P. Magistro Latinum idioma placeat enucleare, ne videar illius amicitiae aut silentio, aut literarum arcanis illudere. Iterum atque iterum vale.

TIBERIO PROSPERI

XXXV.

Epistolam tuam non parce conscriptam Claudiae, ut jusseras, reddidi, quae domesticis curis implicata nonnisi festis hisce diebus respondet. Hac occasione Norinam vidi neglecto oris cultu marcentem, & madidis ocellis in secreto plorantem; sed mihi humanitatis lachrimas, non amoris excitavit. Addidit praeterea nonnulla mixta querelis blandimenta, & per Junonem suam juravit nullam fidei meae injuriam fecisse. Denique Puella tot tantisque illecebris instructa facile constantiam animi expugnasset, ni potior voluptas me mihi paucis ab hinc diebus abstulisset. Sordent, Amice, vaccinia; dum mihi felici in horto arrident ligustra, nec terrent Corydonis praesagia:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Virgil.

Tu-

Tudertini Muliones, quotquot erunt, rogabuntur, ut fiscinam pictis ovis confertam restituant, Puellisque exoptatum munus deferri quam citissime jubebo. Epistolam, imo satyram ad morem epistolae stylo Horatiano exaraveram, in qua saeculi vitia non illepide, & praecipue Convictores meos traduxi duratura apud posteros ignominia; sed cum multa litura sorderent carmina, temporis angustiae decentius illa rescribere vetuerunt. Proximis itaque tabellis expecta saevientem Musam, & scias me in hoc campo non semel prodire velle. Ne dubita; Urbs haec usque ad stomachi fastidium materiam suppeditabit. Vale.

DEFENDIO VECCHI

XXXVI.

REdditae mihi sunt literae tuae (nescio qua fatorum invidia) hisce diebus, quibus humanae Salutis Redemptori parentare consuevimus, cum tamen illas in Natalitia celebritate & scriptas esse constet, & accipere debuissem. Officia tua totius vitae spatium complexa ab ortu Numinis usque ad occasum me sane docuerunt, quod nihil moliris nisi aevo dignum, ac ipsius aeternitatis consors. Satius tamen fuerat consueto dierum curriculo novum hoc tuae humanitatis habere testimonium, quam in ancipiti versari, diuque de valetudine tua, de fide dubitare. Saepius, fateor, Abbatem Comitem Vertonam consului, an bene de te esset, quibus negotiis implicareris; quandonam

nam te reducem in hac Urbe visurus fuissem; ac denique non semel jussi tibi omnia laeta precari, & ex me officiosissime salutem dicere, ut intelligas nullo nec taedio, nec oblivione animum meum erga amicos tabescere, quos studio singulari colo, & amplector. Caeterum ego sicuti optima fruor valetudine, ita ociosus dego extra ictus fortunae positus, & multorum ambitus, anxia vota, spem, ac timorem saepius irrideo. Etenim illa utor vivendi ratione, quae mihi me ipsum non furatur, & innocuam voluptatem turbare non potest, quam in recessu mentis parere solet bonorum factorum conscientia.

Quid faciam Romae? mentiri nescio, librum,
Si malus est, nequeo laudare, aut poscere; motus
Astrorum ignoro, funus promittere Patris
Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam
Inspexi. Ferre ad nuptam quae misit adulter,
Quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo tanquam
Mancus, & extinctae corpus non utile dextrae.

Placet tamen in medio populo haec solitudo, liberiusque incumbo negociis meis (quibus totus innitor) videlicet extirpandis vitiis, ferumque animum mitigando bonarum artium cultura. Studeo multa, amice, comparare, quae senectuti meae dulce otium, ac eruditum efficiant, non quae ingratis nepotibus opulentam luxuriem adornent. Poteram & ego miserum Clientem spoliare venali verborum facundia, & morientium voluntates tanquam alutas more Cerdonum extendere. Et nos quippe didicimus, an filii in conditione po-

ſiti cenſeantur vocati, utrum appellatione filiorum veniant nepotes, per quas conjecturas in ſubſtitutionibus a Theorica Oldradi recedere liceat; caeteraque novimus barbara Curiae vocabula, & meracas ineptias, quibus ſola Iuris ignorantia, & lucri cupido pretium fecit. Verum puduit has in Foro laudabiles rapinas exercere, & viduarum pupillorumque lachrymis ſaginari. Verſor itaque ſegnis, & obſcurus in quadam vitiorum, ac virtutis mediocritate, a qua nunquam datur exilire, & ſicut in caeteris extrema habentur vitioſa, ita in hoc vitae genere media ipſa culpantur, cum ex abdito prodire non liceat, niſi magna aut virtutis, aut vitiorum commendatione. Attamen quavis mercede ab hac Philoſophia non recedam, quae ſola bona, quae honeſta; mala tantum, quae turpia; potentiam, divitias, caeteraque extra animum neque bonis, neque malis annumerat. Vivam inglorius. Sed vivam amicis carior, mihique utilior, quam ſi per faſque nefaſque ad tractandas Reipublicae habenas lutulentis manibus aſcendiſſem. Vale, ut dignus es; & me ama.

SODALES TRIUMVIRI

XXXVII.

TAndem pertinaci taeda fatigatus in hoc ſeceſſu inducias ab amore impetravi. Jam ſecurus in littore emenſas procellas horrida voluptate perluſtro, & ad Aram Virtutis vexati ingenii reli-

quias

quias naufragus deporto. Ne fraudet vester amor tenero pietatis amplexu nudum amicum;

. . . . fracta rate, naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Valete lascivae capellae, & geniali balatu alios Pastores sollicitate. Balthassar, qui mentis acie Astrorum indolem scrutaris, si nescis, e Coelo pluviam Haedi minantur; hinc scias, quoties meis luminibus flebilem humorem Veneri junctum Haedorum Sydus expresserit. Angele, cui quondam sub vexillo Cupidinis militanti suppetias tulit mors immatura, da veniam misero amatori, si ante pugnam belli tesseram depono. Silvi, qui salacis Caprae morsus non semel expertus es, facile ignosces amico, si Haedinam fugit. Sunt enim

Sic catuli Canibus similes, sic matribus Haedi.

Quam libenter, carissimi Triumviri, Urbi valedicto, hic degerem solis rupibus, nudisque Phoebi Sororibus notus! Neque credite me otio plebejae socordiae Fori tumultus fastidire; quin etiam splendida regnandi cupido ruri senescere impellit. Hic enim incultos homines nutu moderor, diruo, aedifico, quolibet indutus amictu incedo, nec ad arbitrium muliebris levitatis, Gallicaeque insolentiae Proteus esse cogor. Praeterea hic amoris dulcedo sine aculeo cordibus adulatur. Quippe siquae villica simplicitatis telo me ferit, subumbram Ilicis honesta voluptate delector. Caeterum assidua Tomi vertigo, necnon peregrini colores non raro curas demulcent. Recenter enim di-

didici udum parietem aqua dilutis fuccis imbuere, & arte magiſtra in Veneres, & Apollines molle caementum adoptare. Talis pictura vel ſub Jove poſita non metuit procellas, ſed imbribus fovetur, & pene dicerem ipſius temporis injuriarum alumnam. Verum quo feror imprudens? Valete amici, & ſilveſtri calamo ignoſcite, qui urbanitatis officia ſi unquam excoluit, nunc data opera neglexit.

AUGUSTINO TAI.

XXXVIII.

QUid hoc rei eſt, Amice? Saeculi ambitum damnas? Fatorum decreta calumniaris? Fortunae inſolentiam objurgas? Parce libero ſtylo, qui neminem hucuſque palpavit. Nondum virtutis panacea ulcus animi ad cicatricem perduxiſti; ſi tam levi momento recrudeſcit, viceſque humanae conditionis indignatur. Quid enim eſt, quam tot maledictis laceſſis, fortuna? Quo tholo vota mortalium excipit, quo delubro Sabaea merce ſaginatur ſuperbum Numen? Libera mentem aliquando e vulgi opinione, ſtultiſque anicularum fabellis. Vitia noſtra ſunt tela fortunae, Fatorum inconſtantia, ac ſyderum maligna facies.

. . . . *nos te*
Nos facimus, Fortuna, Deam, Coeloque locamus.

Pec-

Peccantium ambitiosa temeritas hæc numina in deorum albo transcripsit, ut facinorum sordes specioso stylo cohonestaret, & daret morbo fatali quadam necessitate excusatam licentiam. Laborat aliquis auri libidine, & irrequieta cupiditate aliorum divitias inhiat? Mercurius avaro obtutu in pueri cunas respexit. Marcet ille Thaidis amplexu, aut Matronarum corruptor non vulgari intemperantia gaudet lascivire? Adfuit Venus nascenti, mollisque luminis lenocinio vagientem afflavit. Hic rapitur aestu impotenti, & homicidium tanquam genus artis exercet? Lactentem nutrivit Bellona, vivumque cruorem immanitatis ubere propinavit. Adeo nullum est tam sordidum scelus, nulla tam fœda protervia, quae Diis ipsis velut auctoribus non audeat imponere, & sub insontis coeli invidia dedecora mortalium excusare. Crede mihi, inane tantum nomen est Fatum, Fortuna; nec Sapientis videtur ad certamen lacessere ludicrum hostem, vacuumque terrorem. Olim & ego gloriae nomine lactatus quotidie cum Fatis digladiabar, & dulce erat in consortio Musarum Fortunae contumaciam debellare; sed cum ad annos adolescentiae invitos oculos retorqueo, pugnae vanitatem damno, quae potius cum prava mentis cupidine, quam cum Fortunae deliriis colluctari debuerat. Verum poenitet haec scripsisse viro, qui cum nullis vitiis laboret, nullum Fatis templum excitavit; & siquando in Fortunam inveheris, mendacia Poetarum, non tuam virtutem fas est accusare. Caeterum haec Patria senio gravis Aulae adventu visa est adolescere, & ad ingenuæ originis decora provocare. Princeps, (quem cognita pietas commendat, virtus
ado-

adoptavit, maturum Purpurae decus expectat) largus genii in populorum amores, Urbisque delicias indole liberali pene luxuriat. Unam tantum exercere virtutem Regio Juveni non vacat, clementiam ; quippe nemo audet tam religioso Moderatore delinquere. Academiam Aulam diceres, ad cujus fores non superbus janitor turbam digerit, sed Pallas amica manu excipit sapientiae amatores. Hujus limina quoties in diem delibo, & usque in penetralia deductus Senensis coeli providum Sydus adoro! Habe tibi regnatricis Urbis speciosa fastidia, Procerumque liminibus meritoriam defer salutationem. Equidem mihi temperare non possum, quin saepius irrideam miseras aliquorum curas, qui jejunam gratiam mille laboribus emunt, aut inani studio meliorem vitam absumunt. Est ne tanti, mediusfidius, Clientem, Pupillumque emungere, ut religiosis Legum verbulis juvet integra aetate insudare, & velut cumaea Oracula quidquid lucri cupiditas suaserit exponere? Ignosce desidiae meae amantissima Patria, ignosce popularis favor. Nolo, ut excolam hoc qualecunque sit ingenium meum, mihi me ipsum abripere. Tabescat assiduis vigiliis studiosa Juventus, longamque consulat Jurisprudentiam; ego interim splendida ignavia feriatus nudis Pimplae virginibus delectabor, & e liberae mentis recessu dementissima vota castigabo. Ex hoc velut arce vallata juvet audaci calamo interdum vitia mortalium perstringere, Civiumque invidiam celebri ignominia apud posteros commendare. Studeo multa, Augustine, comparare, quae senectuti meae dulce otium, ac eruditum efficiant, non quae ingratis Nepotibus

opu-

opulentam luxuriam adornent. At quo incautus delabor? Exoro te per genium Sodalitatis, ut hanc mentem meam nemini aperias; quippe nolo, cum Romam concessero, gratuita invidia aditum ad Romanos Proceres mihi prohibere. Tu interim saepius scribe, ut gemina Bichiae stirpis sydera, quae scio in Patriae spem, & Aulae vota educari, vicaria salutatione meo nomine valere jubebis. Vale.

TIBERIO PROSPERI

XXXIX.

PErjucundae mihi fuerunt literae tuae, quibus dum annuae urbanitatis officia persolvis felices dies auspicando, feliciori omine novam a te initam vivendi rationem accipio. Gratulor itaque ex animo te salubri consilio e sordium volutabro emersum, ruptaque amabilis servitii catena ad ingenuae virtutis decora provocasse. Jam video sacrae doctrinae jacta semina, nec sine quadam veneratione futurae sanctitatis crepundia in tuis epistolis contrecto. Praeterea monitoribus minime asper me tibi debere confiteor, quod prava consortia, & subdolas amicitias vitandas proponis, ne videar ab Orthodoxa Fide erudita impietate degenerare. Laudo solicitudinem tuam benevolentiae plenam, illamque non vulgaris beneficii reus intimo corde amplector; vellem tamen te certiorem facere me esse fidelem, non credulum, & nostrae salutis Mysteria adorare, non a-

niles

niles fabellas colere, & terricula puerorum. Cognata mortalibus animis est Religio, illamque anticipatione quadam, ut ait Cicero, insitam habemus a natura; verum avaritia, & ambitio pessimi Christianae Reipublicae Tyranni adeo hoc pietatis sensu abusi sunt, ut hodie Religio pene aliud non sit, quam ars secure regnandi, populosque imaginaria formidine coercendi. Exemplo sit, ut caetera sileam, ipsum anathema gravius fulmen Ecclesiasticae Potestatis, ultimum laesae Divinitatis piaculum. Nonne hoc remedium in minimis exerceri non sine Dei contemptu quotidie videmus, & usque ad torquendos miseros decoctores tam grandi supplicio Ecclesiam armari? Bone Deus! Sed ad alia; regnans quippe Innocentia vicariam Numinis majestatem tam sanctis legibus induit, ut nullum justae querelae locum relinquat. Caeterum, quod mihi in enucleanda Sacrorum Patrum doctrina operam tuam promittis, gratias tibi ago; neque enim huic studio addictus sum, ut fortasse opinaris. Tota exercitatio mea versatur in indaganda Conciliorum serie, Canonum auctoritate, & Ecclesiae Monarchia, videlicet ne imposterum auribus meis penitus incognita personent nomina Ephesinae Synodi, Bracarensis Concilii, Schismatis Novatiani, utque sciam, quid Jus Divinum, quid sit traditio Apostolica, & ut demum mihi quorumdam audax ignorantia minus imponat. Si tibi arridet studiorum meorum institutio, fac ut sciam, quanquam puto, quod tibi non videbitur inutilis labor perpetua successione ab Ecclesiae natalibus ducere lineam usque ad hanc quandam ejus senectam, & in singulis religiosa curiositate inquirere. Studia

etiam tua non mediocriter laudo, ſcioque ſanctorum Patrum ſcripta vel faſtidioſo palato delicatum eſſe cibum, ſed in illis licet ſanctiſſimis Viris agnoſces aliquando terrenum neſcio quid, & propriis affectibus, ſive temporum conditionibus famulans. Ipſe ego nuper audivi in tertia Carthaginenſi Synodo S. Cyprianum acerbe mordentem Stephanum Romanum Pontificem Tyrannum appellantem, tandemque mutuis odiis, ac conviciis diviſas ab Orientalibus Occidentales Eccleſias. Sed haec, caeteraque levia ſunt, & miſerae humanitati, qua unuſquiſque veſtitur, libenter donanda. Faciam tandem epiſtolae finem plura in futuris literis dicturus. Interea, Amice, ſapienter vale, totoque Tiberio ad ſacram doctrinam incumbe. Occupatio optima eſt amoris medicina:

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

EIDEM
VEL
VICTORI FELICI COUCCI
XL.

PRaeteritis diebus redditae mihi fuerunt literae vere tuae, hoc eſt omni humanitatis genere perpolitae, & quae ad veterem mutuae benevolentiae conſuetudinem me dulciſſime provocarunt. Quid enim ſatius optare velim, quam eruditam ſtyli exercendi occaſionem, & aulico in otio feriatum animum excitandi? Pulchra eſt, Amice, ſervitus, quam ſervio, & pene de me dice-

cere auderem, ſervire Deo regnare eſt. Non enim de illis ſum, qui nidore culinae, aut lucelli dulcedine pellecti pretioſiſſimam omnium rem libertatem vendiderunt. Quin imo Dominum mihi fortuna comparavit ſupra votum amantiſſimum, & quem ſi Purpurae fulgorem, & vocabula Dignitatis excipias, amicum potius, vitaeque ſocium, quam Dominum appellare debuerim. Verum quia nemini datum eſt in hac peregrinatione undequaque beatum haberi, & terrena pocula non ſine cicutae aſperſione corrupta ſaeculum propinat; in his deliciis angor interdum, ipſamque fortunam criminari aggredior, quia nempe ab amplexu Muſarum, & Literatorum conſortio me longius diſtinet, quam pati queat inſtitutum meum, & a puero educatio. Hinc certior fieri potes, quanti faciam neceſſitudinem tuam, quae ingenium meum Aulae contactu delinitum ab interitu vindicat, ac virtutis manumiſſione liberum eſſe jubet. Itaque, ut ad ea deſcendam, quae ex Hieronymo propoſita mihi fuerunt; abſit, ut de ſanctiſſimo Viro, ac ſupra caeteros erudito, & quem impenſius cum pietatis, tum doctrinae cauſa amare conſuevi, ſuſpicio ulla mendacii poſſit oriri. Non enim (ſi placeat rem propius attingere) inter ſe pugnant, quae ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, quaeque in libro adverſus Rufinum exaravit. Haec ſunt Hieronymi verba, cum ad Romanam Virginem ſcribit: *Referam meae infelicitatis* Historiam*: nec vero ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſaepe deludimur; teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui; teſtis judicium triſte, quod timui; ita mihi nunquam contingat in talem incidere quaeſtionem. Liventes fateor habuiſſe me ſca-*

pulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante moralia legeram. Sic ille. Cum vero adversus Rufinum se tuetur: *Objicit*, inquit, *mixtum perjurio sacrilegium, quod in libro, quo ad instituendam Christi Virginem loquor, ante tribunal Judicis dormiens pollicitus sim nunquam me literis saecularibus daturum operam, & nihilominus damnatae eruditionis interdum meminerim, nunc autem novum impudentiae genus objicit mihi* SOMNIUM *meum.* Haec est tota textuum oppositio, videlicet in secunda parte *somnium* nuncupatur, quod in prima vocarat *historiam*. Hanc vero contrarietatem diluere pronum mihi accidit, si SS. Patrum scribendi consuetudinem personis, locis, & temporibus saepius accommodatam perpendere voluero. Exemplo mihi sit unus Augustinus, qui cum Manichaeos oppugnat, Pelagianis favere, cum Pelagianos confutat, Manichaeis arridere quodammodo videtur; nec tamen aut divinae Gratiae injuriosus, aut humanae libertatis eversor alicubi deprehenditur. Ne mireris igitur, si & noster Hieronymus, dum Virginem alloquitur, & Christi praecepta in illius animum tenera quadam eloquentia insinuat, somnium suum vocat historiam, verbera exaggerat, liventes scapulas ostendit. Praestabat enim Virum sanctum hac uti Rhetorum arte, vividisque coloribus, ut nimirum Virginis mentem altius penetraret, suique exemplo a profanis deterreret. Cum vero adversus Rufinum apologiam scribit, veritati absonum videri nequit, si totam illam ad Eustochium narrationem somnium fuisse contendit. Non enim comparanda fuerat Virgo nobilis, ac pudica cum homine livido, ac petu-

lan-

lanti. Nec aequalis fuerat scribendi ratio; illam, ut virginitatem servaret, adhortabatur; hunc, ut stylo confoderet. Praeterea, ut es Historiae sacrae eruditissimus, saepius puto a te notatum Africae Scriptores animosos prae caeteris fuisse, ac detractorum moribus minime opportunos; ipsumque Hieronymum, cum in id genus hominum assurgit, fateberis aliquando Africae suae duritiem, & Bethelemitici specus austeritatem sapere. Adeo ut non sit illi vitio vertendum, si Rufini contumaciam perstringens historiam cum somnio confundit, ac aliqua utitur vocabuli insolentia. Quanquam nolo hoc tantum nomine tueri Hieronymum, illiusque dignitati minus consonum foret, si tam debili egeret patrocinio. Agedum. Historiam appellarit, quae ipse in somniis viderat. Num hoc verbo somnium destruit? Ego quidem putarem, Historiam nihil aliud esse, quam seriem factorum memoriae posteritatis commissam; adeoque siquis ea referat, quae in somniis apparent, geruntur que, optime historiam somnii posse appellari. Caeterum illud credo animadvertendum maxime inter se distare vera, ac vana somnia; nam vera per Divini Numinis illapsum mentes nostras illustrant, admonentque, ut saepius accidit Prophetis, Virisque Deo charis. Vana nihil aliud sunt, quam Phantasiae motus, qui nobis nil solidum repraesentant, mentesque subdolis imaginibus deludunt. Qua de re in Erebo portas Poetae quoque finxerunt, quarum ex altera vera somnia, ex altera ficta prodirent. Itaque noster Hieronymus, cum se ad Christi Judicis Tribunal adductum fatetur, neque putes, inquit, soporem, aut vana fuisse somnia, quibus saepe deludimur;

 no-

noverat enim non vanum, sed verum fuisse somnium, seque a Deo amabiliter interpellatum; ut profanam eruditionem imposterum abdicaret. Dixerit igitur Rufino, *objicis somnium meum*, sibi non contradicit. Somnium scilicet ex illis, quae vera sunt, fuit illud, quod appellavit historiam, nec aliud nisi somnium fuisse poterat, quae ipse omni corporis sensatione sopita in excessu mentis perpessus fuerat. Siquidem extasis, visiones, raptus animos solum afficiunt. Terrena corporis sarcina tantum de se sperare non audet; neque haec superba putredo, qua miseri circumdamur, Divinis colloquiis adesse, bonoque immortali frui meretur anticipatione Beatitatis. Verum potes reponere, flagellorum vestigia, quae post somnum ostendit Hieronymus, argumenta esse non animum, sed etiam corpus ante severum Judicem stare jussum, ideoque inter se pugnare textus, mendaciique arguendum authorem. Praetereo, quae superius de SS. Patribus notavi, immodicos scilicet aliquando videri, cum rem aliquam extolli, aut imminui postulat occasio. Ego tamen Hieronymi plagas tueri posse novo consilio crederem. Siquidem non est inauditum animae vires ejusmodi esse, ut interdum agant in corpus, ac vestigia relinquant; imo quotidiano experimento docemur, praegnantes foeminas imprimere foetibus ejus rei signum, quam maxime appetunt. Cur igitur fieri nequit, ut sanctissimus Vir in somnis admonitus, ac praesentia Judicis exaestuans, verberumque formidine correptus praeteriti somnii solidum aliquod vestigium reportaverit? Arctissimum est corporis, & animi commercium, libensque crediderim, quemadmodum corpus mediis organis agit in animum,

mum, ita & animum in subdita sibi parte, & quasi inquilinum domi suae aliquid posse innovare. Illud quoque notandum censeo, quod, cum per somnum, sive extasim rapimur, anima naturalem operationem excedit, & corporei carceris vincula, si fieri posset, abrumpere, sesequc vindicare avidissime nititur. In hac lucta spiritus, motuque violento membra, quae suapte natura infirma sunt, lutoque conflata, aliquid pati necesse est, atque ita extrinsecus affici. Quapropter etiam verberum in membris testimonium somnio non repugnat, ac undequaque Hieronymum nostrum a mendacii suspicione absolutum tibi remitto. Habes, Amice, parum doctam epistolam, & quam nugis occupatus scriptitavi, sed in tui obsequium indoctum videri non levis est apud me gloriae usura. Hoc unum etiam atque etiam a te rogo, ut saepius mihi occasionem præbeas melius scribendi imitatione tui, utque observantiae meae jussu aliquo acceptissimo periculum facias. Vale.

JOSEPHO OLIVERIO

XLI.

Accepi & literas, & bellaria. Alterum humanitatis, alterum sapientiae tuae gratissimum pignus. Utrumque pari studio Cecropiae aves elaborarunt, ita ut non minus suavi lenocinio palatum, quam animos peregrino sapore titillent. Bene est. Ingenium corpori non invidebit. Pallas mea, quae nunquam venalis fuerat, hoc pre-

tio ſua decora proſtituere ſuperbit. Doleo tamen, quod non tanti emendum erat vile hujus calami penſum, nec muneribus debitum extorquere derueras. Alii modica, ego magna beneficia injubiam appello. Saginetur inter Sodalis bona ſordidae amicitiae genius; ſed amorem, qui noſtro in pectore cognatione virtutis adolevit, pudeat hujuſmodi illecebris ſollicitari. Caeterum ut medicatis frugibus luxuriat materia, ita & ingenuo lineamento effigies, quae, ſi linguae non habet uſuram, dulci tamen ſilentio ſe ſtomacho commendat. Hac ſi donaſſes Martialem, plane non reſcriberet,

Illa poteſt culicem longe ſentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi;

Sed Placentae liberale pondus, nec jejunum ut in caeteris corticem inter nobiliora apophoreta reponeret. Tu interim parce ſtyli deſidiae, ſi nondum opus aggreſſus eſt; quippe lento in otio feriatum nonniſi temporis anguſtiae ſolent excitare, quae cum inſtabunt, fac ut ſciam, promiſſumque exſolvam. Vale.

ANGELO VENTURI

XLII.

LAudaveram elapſis diebus Matronae cujuſdam manus, & dignos Baccho digitos, addidique velle me, ni moleſtum ei foret, haec bona gypſo ex-

exprimere, ut si Zeuxis aliquis Venerem Achaicam iterum pingeret, haberet emendatum dexterae exemplar, quod imitaretur. Risit illa muliebri vanitate superba, nec parum delectata est arte mea, quae suas illecebras ab jure mortis vindicaturam, saeculisque tam speciosi prototypi monumentum se tradituram spopondit. Jussi propterea famulum meum ad te venire, ut siquid gypsi nostris aestivis laboribus superfuit, illi confestim tradas. Habet sacculum, in quo munera tua reponat: onera illum, quoad ferre poterit. Omitto ridicula urbanitatis officia, quae solent facilius gratiam extorquere; quia ipsemet (ut puto) gaudebis rudem illam materiem informi situ corruptam, & quasi telluris purgamentum in patriciae venustatis ideam adoptari. Insuper laetaberis gypsum Aselli speculum vulgo nuncupatum posse tam nobili forma conspicuum Cupidini, Venerique pro speculo esse. Vale.

ORNATISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO.

XLIII.

CUm valetudinis Causa apud Thuscos versarer, lepidissimi Lilii usus consuetudine saepius tui nomen, Vir ornatissime, studiorumque tuorum laudes celebravimus, tantumque bonum literariae Reipublicae accessisse in hoc saeculo audacis ignoran-

rantiae invicem gratulabamur. Romam nuper reverso redditae mihi sunt literae tuae, amicae voluntatis significatione plenissimae, cultuque verborum adeo eleganter perpolitae, ut opinionem virtutis tuae, quam inter Lilii sermones conceperam, uberrime confirmaverint; mihique non leve Anecdotorum tuorum fecerint desiderium. Dabis igitur operam, ne diutius hac voluptate caream, novoque benevolentiae tuae pignore amicitiam meam provocabis. Quamvis enim jejuniis frigidisque occupationibus districtus, saepe etiam supra corpusculi vires obrutus, raro humanioribus studiis vacare soleam; non modice tamen delector eruditorum hominum scriptis, quodque mihi fortunae invidia negatum est assequi, in aliis libenter colo, atque suspicio. Caeterum eruditionem, quam officioso mendacio de me praedicas, nullam agnosco, muniisque, quibus hac in Aula fungor, ab omni prorsus literarum amoenitate interdicor. Ecquid enim cum Musis, teneris scilicet honestisque virginibus, barbara Fori vocabula, & ineptae Pragmaticorum cautiones? Hae sunt illecebrae, Veneresque, quas inter dies integros frangimus, nocturnas quoque horas misere perdimus. Apud Legulejos, Rabulasque hujusmodi quaecunque vilescit civilitas institutionis, & piaculi loco est sapere nonnihil peregrini. Unde licet non illiberaliter educatus literulas, pulchrasque artes a puero adamaverim, genium cogor exuere, ac omnem eruditionem dediscere. Felix, qui bonis avibus natus ad ea tantum incumbis, quae sola jucundam beatamque vitam praestare possunt. Age igitur, stadium imple aeterna gloria, ac nominis immortalitate, tua-

rum-

rumque lucubrationum inter otia dulcissima nostri quoque reminiscere. Ego interim, si quid ex usu tuo proficisci a me unquam poterit, rogo, ut operae meae periculum facias, certoque scias, me beneficium accepturum, quoties in tui commodum collocavero. Vale.

In superiorum Epistolarum editione ordo tantum habitus est; quem exemplaria nobis perhumaniter commodata praeseferebant.

L E-

LECTORI
TYPOGRAPHUS.

Quanquam omnes Ludovici Sergardii tantum Epistolas, ut ex hactenus editis luculenter patet, non autem ipsius quoque amicornm responsa typis nostris vulgare initio constitueramus; aliam tamen prorsus ineundam rationem profecto censuimus, dum Sergardiana scripta evolventes mutuum literarum commercium opportune comperimus, quod nostro cum Auctore anno MDCLXXXX. Gallus Vir Clarissimus P. Joannes Mabillonius officiose habuit. Ea siquidem imprimis est percelebris Mabillonii pietatis, ac doctrinae fama, ut quicquid ipse lucubravit publica luce dignum existimetur, magnumque propterea decus atque ornamentum ex tam familiari Ejusdem amicitiae usu Sergardio ipsimet accessisse merito videatur. Perutilem insuper, nedum gratam & jucundam, hujusmodi Epistolarum editionem fore judicamus. Ex his enim plura, quae ad Rem literariam illius temporis, ad Bella, atque ad Christianissimi Galliarum Regis cum Aula Romana dissidia pertinent, cognosci liquido possunt. Quod vero illas praecipue commendat, hoc scilicet est, quod perniciosam nuper exortam de Peccato Philosophico *doctrinam religiose vehementerque perstringunt. Haec momenta sunt, quae nos, ut datas*

tas

tas invicem acceptasque Mabillonii & Sergardii literas una praelo mandaremus, efficaciter impulerunt; quaeque cognita tibi esse atque perspecta, Lector benevole, cupiebamus. Vale.

PA-

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Accepi cum literis humaniſſime ſcriptis Diarium de *Sçavans*, quod mihi ſingulis hebdomadis mittere Paternitati Tuae non ſit moleſtum precor. Librorum faſciculo, quem paras Eminentiſs. Domino, addere etiam poteris *Les Nouvelles de la Rep. des lettres* una cum univerſali Hiſtoria eorum, quae in hac literaria Republica peraguntur, certus in hac Aula non mediocrem gratiam a clementiſſimis Dominis aucupandi.

Caeterum librorum notam, qui deſiderantur in noſtra Bibliotheca, Paternitati Tuae remitto, ut comparare poſſit; eandemque rogo, ut in poſterum ſervet modum; illam enim non modo Eminentiſſimo Domino, ſed & Sanctiſſimo Patri perlegere conſuevi, qui licet gravioribus curis detentus gaudet Authores alios ſeligere, alios reſpuere, eumdemque ſervat genium, quo juvenilibus annis in politiores literas ferebatur.

Reliquis P. T. quaeſitis ſatis me feciſſe puto in praeteritis; unum reſtat, ut forſan tuis opportunitatibus pecuniam Pariſiis numerem; quod nondum implevi cauſa Miniſtrorum, quos adire ſemper difficile, ſed hoc praecipue Bacchanalium tempo-

pore difficillimum. Faciam in proxima hebdomada.

Literae, quibus P. T. me dignatur, gratae sunt cujusque sermonis, mihi tamen in Hetruria nato, & Romae degenti acceptiores erunt, si latine scribas. Quamvis enim Gallicum Idioma multum leporis habeat, & nemo sit hodie mediocris literaturae, quem non pudeat Gallica carere lingua, dabis veniam rudi ingenio, & sua plurimum amanti, si nunc tuo calamo legem inscribo.

Irasci brevibus amicorum Epistolis magni amoris est, ut inquit ille, sed tuae humanitatis erit non offendi longiusculis. Interim Deum precor, ut P. T. longaeva incolumitate fortunet, & maneo ex animo.

Romae VII. Idus Februar. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illustrissime Domine.

IN posterum, quando id tibi commodius, scribam latine, & quidem non gravate. Tu vero utere tuo arbitrio. Nam sive latine (quod facile & expedite facis) sive Italice scribas, mihi perinde

inde

inde gratum fuerit. Tantum ne abrumpatur curſus litterarum tuarum, quae quanto prolixiores, tanto mihi jucundiores erunt. Quod ita a te acceptum velim, non quo tempus tuum majoris momenti rebus impendendum longioribus ad me ſcribendis epiſtolis expendas, ſed ut intelligas, quanti eas faciam. Sed de his hactenus.

Scripſi nudius tertius ad Hollandicum Bibliopolam, ut reſciam, an poſſit inſtitui librorum commercium ex Hollandia Tridentum. Id ſi ita erit, Novitates Reipublicae litterariae, & Hiſtoriam univerſalem librorum illa via poteris accipere. Sin minus aegre in hac urbe ejuſmodi libri recuperari poterunt, ſiquidem huc nonniſi per curſores afferuntur. De his proxima hebdomade, favente Deo, accipies certiora.

Mitto ad te quoſdam verſus gallicos feſtive ſcriptos de *Peccato Philoſophico*, quod anno 1686. in Collegio Divionenſi Patrum Societatis Jeſu propugnatum eſt, ac poſt duos annos Lovanii, ut ex excerpto intelliges. Poſt theſes Lovanienſes celebris ille Doctor Antonius Arnaldus ſcripſit libellum contra doctrinam *Peccati Philoſophici*, & quidem tam luculenter, & valide, ut noſtrates Jeſuitas pudeat tam abſonae, ne dicam impiae doctrinae. Ideoque dedere in mandatis Patri Bouhours, auctori illi, qui tam eleganter gallice ſcribit, ut probant varii ejus libri, quales ſunt illi *de modo recte cogitandi*, & quos in tua ſchedula mittendos notas; huic, inquam, dederunt in mandatis, ut retractationem, ſeu cenſuram conficiat illius peſtilentiſſimae doctrinae, ne longius ſerpat. Nuper tamen de hoc *Peccato Philoſophico* novae factae ſunt apud Patres Lovanienſes diſputationes,

in quibus concedunt damnari quidem homines ob *Peccatum Philosophicum*, sed nonnisi ad certum tempus, non in aeternum, posse. Hanc historiolam tibi, Illustrissime Vir, perscribi oportuit, ut horum versuum occasionem intelligas. Si ad vos non pervenerit libellus contra *Peccatum Philosophicum* editus; curabo quam primum ad te transmitti; & fortasse non expectato responso tuo unum exemplar hac, vel proxima occasione curabo transmitti: nam rara forte erunt apud vos exemplaria: & dignus est libellus, qui legatur. Non dubito, quin SS. Dominus noster huic lectioni subcisiva quaedam otii sui intervalla haud gravate sit impensurus. Et fortasse non displicebit lectio versuum Gallicorum, qui festive exprimunt philosophicae peccati doctrinae malas consecutiones. Haec non eo animo scribo, ut Patribus Soc. quoquo modo officiam: sed, cum de Re litteraria ad te scribere debeam, non licuit hanc historiolam silentio praeterire. Cum primum prodibit Censura promissa, ejus exemplar ad te dirigam. Pene exciderat, Illustrissimum Archiepiscopum Remensem hujus promissae censurae promotorem esse. Sed his nimium immoror, quod alia me deficiant, quae mihi ad te plura scribere cupienti sufficiant. Vale, & conatus meos aequi bonique consule.

Parisiis XI. Cal. Mart. 1690.

Hic addidi dissertationem de Numismate Galbae.

ADM.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

GRatissima mihi accidit narratio *Peccati Philosophici*, nec sine voluptate legi perlegique Gallicos versus plenos vernaculi leporis, & eleganti sale conspersos, statimque illos transcribere curavi, & nonnulla exemplaria amicis meis divisi, qui plurimum tibi debere fatentur.

Equidem captabo occasionem non modo Eminentissimo Domino hanc lepidissimam musam exponendi, sed & Sanctissimi Patris aures (si quid ocii graviores curae relinquent) hujusmodi lectione demulcebo. Propterea ne pigeat libellum contra Peccatum Philosophicum editum cito transmittere, ut magis magisque praecepta moralia Jesuitarum quam longe a veritate aberrent, deprehendere possim. Pulchra sane, & inaudita doctrina! Ob peccatum Philosophicum damnari quidem homines, sed ad certum tempus. Porro (quandoquidem humana conditio miserum habet peccandi privilegium) imposterum nonnisi Philosophice peccabo.

Dissertationem de Numismate Galbae tradidi D. Raphaelo Fabretti viro omni antiquitate supra caeteros erudito, & tui studiosissimo; mihi-

 que

que suo nomine plurimam salutationem tibi dicere jussit.

Caeterum Sanctissimus Pontifex, quae sui muneris partes sunt, omni cura incumbit, ut optata pace Principum animos deliniat. Res quidem ardua irritatis ad bella animis, & in mutuas clades intentis. Faxit Deus, ut commune populorum votum impleatur. Interim me ama, & meae certus observantiae aliquid impera, quo possim ostendere te a me singulariter amari. Vale.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine

Etsi incertus sim, quid ad tuas praesente hebdomade expectatas, sed nondum redditas litteras responderi possit, non tamen visum est ulterius differendum, quin ad te scribam, ne subito cursoris discessu a scribendo impediar. Quam tibi superioribus meis litteris pollicitus eram, hanc ad te hodie mitto retractatoriam *Peccati Philosophici* censuram, quae an lynceis Curiae istius oculis factura sit satis, mihi sane ambiguum est. Certe non pauci e nostratibus Viri docti plus mali inde timent, quam boni eventurum sperant, judicant-

que

que esse quandam veluti scintillam, ex qua sopitum nuper discordiarum, & contentionum incendium denuo accendatur. Caeterum non emendari *Peccati Philosophici* nec rejici doctrinam, sed tantum consecutiones ex ea elicitas; neque censurae auctorem omnino candide agere, ut qui theses Lovanii semel, & iterum ad defensionem *Peccati Philosophici*, in Divionensi Collegio nati, propugnatas dissimulet, quasi alto silentio sepultum fuerit post primas illas Theses Divionenses, quae tam infandum monstrum pepererunt. Denique ex hac censura vident renasci contentiones de Jansenii doctrina, quas occasione censurae in medium revocari non videbatur esse e re Christiana. Sed haec, aliaque Tu, vestratesque & acutius, & fortasse prudentius intelligetis: meum vero erat, quid hac de re apud nos sentiatur, tibi perscribere.

Expecto in dies responsum ex Hollandia, ut sciam, an institui possit inde commercium usque Tridentum. Brevi aliquid spero ex Anglia, ubi recens prodiit nova Josephi Judaei editio typis Oxonianis, ex recensione Viri docti Josephi Bernardi, Matheseon in illa Academia Professoris. Tantum optandum est, ut sit mare liberum ex Gallia in Italiam, quod, quandiu haec bellorum procella saeviet, non facile impetrabimus.

Modo accipio gratissimas litteras tuas 7. Februarii scriptas, ex quibus nonnihil doloris mihi accidit, quod ista hebdomade nullam a me epistolam ad te pervenisse significas. Scias tamen me non defuisse officio meo, nec unquam vel semel, Deo dante, quandiu Eminentissimo Domino meo acceptum erit, defuturum sive per me, sive per unum e sociis meis, nempe vel Dominum Mi-

chaelem Germanum, vel D. Theodoricum Ruinartum, qui Acta selecta primorum Martyrum nuperrime vulgavit. Fortasse illa epistola mea cum adjuncto Diario litteratorum serius ad te pervenerit. Sin minus, rogo te, ut id mihi quamprimum indicare non graveris, ut Diarii illius jacturam, altero transmittendo, sarcire possim.

Fasciculum litterarum tibi ex me directum Domino Riccio Lugduni per unum ex amicis consignari curavi. Is vero negavit se hoc habere in mandatis. Accepit tamen, promisitque se intra fasciculum Apostolicum inclusurum. At quando ejus opera in posterum, uti jubes, pro nostro commercio uti oportebit, non sit tibi grave, Vir Illustrissime, hanc provinciam ipsi significare, quominus id gravate ferat.

Fasciculus librorum, quos Eminentiae Suae destinaveram, adhuc Lugduni haeret, tum ob difficultatem commercii, tum ob fasciculi parvitatem. Neque enim tutum esse ajunt minores fasciculos in naves onerarias importare. Interim major librorum sarcina Croziero bibliopolae Romano paratur, in qua curavi includi fasciculum illum debite obsignatum sub nomine Eminentissimi Domini mei. Si quid hac in re peccatum a me est, dabo operam, ubi primum abs te admonitus fuero, erratum meum, si licebit, emendare, aut certe in posterum cavere, ne in aliquod simile erratum incidam. Deerunt in praedicto fasciculo libri nonnulli, quos in tua schedula superiori hebdomade trasmissa designasti; sed in alio fasciculo, qui brevi ad te mittendus erit, aliis libris adjungentur. Haec fere sunt, quae tibi scribenda occur-

currunt in praesens. Vale, & nos tui studiosissimos amare perge.

Parisiis IV. Cal. Mart. 1690.

Illustrissime Domine.

Cum multa grati animi significatione noster Dominus Michael Germanus accepit testimoniu n benevolentiae tuae, quam ut sibi conserves, obnixe rogat.

Quantum conijcio ex penultimis litteris tuis, sufficiet fasciculos litterarum ad te mittendos nomine tuo inscribere absque inscriptione Eminentiae Suae, siquidem per Dominum Riccium mittantur. Expectabo tamen hac de re certum responsum.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Abbas Trevisanus Nobilis Venetus, & S. D. N. Cubicularius Parisios petit redditurus Cardinali Bellovacensi collatae nuper Dignitatis insig ia. Ego vero in leges urbanitatis maxime peccare credidissem, si oblata hac occasione P. Tuae benevolentiam hisce literis meis non coluissem. Pla-

ceat itaque P. Tuae novum hoc amoris mei documentum grato, quo foles animo excipere, certiorque fit nullibi habere, qui ardentiori ftudio affectet opportunitates magnorum virorum confuetudinem demerendi. Interim me P. Tuae enixe commendo, ac laeta omnia a Deo auguror.

LUDOVICO SERGARDIO
JOANNES MABILLONIUS.
S. P. D.

Illuftriffime Domine.

PEne jam defperabam me recepturum hac hebdomade litteras tuas, cum mihi anxio redditae funt, & duplici me gaudio cumularunt. Ex his quippe intellexi, ad te perveniffe epiftolam illam meam, quam ante unum menfem accepiffe debueras. Jam itaque ex omni parte falva res eft, neque hactenus interruptum eft commercii noftri filum; quo nihil jucundius mihi poteft contingere.

Laetis animis omnes accepimus nuperam Cardinalium promotionem, in qua elucet infignis Sanctiffimi Domini noftri delectus. Cum vero Illuftriffimi Epifcopi Bellovacenfis promotio multis placet, tum hoc potiffimum nomine univerfis Ecclefiafticae concordiae amatoribus grata eft, quod
jam

jam reformatae, aut certe brevi reformandae inter nos invicem pacis quasi quoddam pignus esse videatur. Quid vero minus a tanto Pontifice sperari, & expectari potest?

Post superiorem epistolam meam nihil fere novi in Republica litteraria accidit. Illud leviusculum, quod in Programmate ad compita affixo publicandam Peccati Philosophici censuram non nemo privata manu clam subtexuit, obviam esse ad hanc censuram respònsionem in epistola 4. ad Provincialem. Ceterum quae, & quales sint illae ad Provincialem epistolae, num. 18. primum gallice editae in laxioris moralis auctores, dein translatae in varias linguas, res notior est, quam ut tibi viro erudito explicari debeat. Vereor, ut Arnaldus in tam brevi responsione conquiescat, homo ferventissimus ad scribendum de ejusmodi potissimum argumento. Ejus libellum contra Peccatum Philosophicum mittere supersedebo, dum abs te hac de re responsum acceperim.

Hoc momento accipio responsum a Bibliopola Hollando Hadriano Motyens, homine accuratissimo, qui libentissime in se suscipiet provinciam mittendi librorum novorum sarcinas usque Tridentum: nec dubito, quin ambabus (ut ajunt) manibus excipiat curam transmittendi res novas, quae in fasciculum litterarum facile includi poterunt, si modo resciat id Sanctissimo Domino nostro, aut Eminentissimo Cardinali Patrono acceptum fore. Nam alias mihi contestatur se aegre id pro quovis alio in se suscepturum, quod hae minutiae curam majorem exigant, quam compendia ferant. In litteris, quas ad eum scripsi, nomine tacito significavi ipsum, si hoc faceret, cuidam potentissimae

simae

ſimae Perſonae rem gratam facturum. Reſpondit ille id non poſſe a ſe ſtatui, niſi Perſonae nomen reſciat. Vide, quale ad haec reſponſum dare debeam, ut commercium noſtrum ordine procedat. Nimius ſum fortaſſe in hiſce minutiis perſequendis: ſed id mihi videntur exigere juſtae commercii, & prudentiae leges. Vale, & me tuarum epiſtolarum avidum lectorem, tuique in primis amantiſſimum, & obſervantiſſimum tuis litteris beare perge.

Pariſiis Non. Mart. 1690.

Mitto ad te ipſiſſimas literas Bibliopolae Hollandi.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Quanquam nullae mihi hac hebdomade redditae ſint literae tuae, careamque jucundiſſima voluptate, quam animis locorum intervallo diſſitis parere ſolent amicorum Epiſtolae; meae tamen benevolentiae, ſtudiique eſſe putavi calamo non parcere, teque altioribus forſan curis detentum meis nugis interpellare. Curo pecuniam Pariſiis perſolvendam, totuſque in hoc ſum. Eminentiſſimus Dominus largus animi, aurique opor-

portuna dedit mandata; expecto, ut illa ministri exequantur.

Caeterum Sanctissimus Pater optime valet, vitaeque (utinam longi Nestoris) usuram populorum saluti, & incremento Religionis impendit.

Ego vero, si mihi aliqua committere statues, perficiam mea in te voluntate, ut intelligas, quanti apud me sit authoritas tua, quamque cupiam magnorum Virorum necessitudines meis officiis demereri. Vale, & Fratrem Michaelem Germanum meis verbis saluta.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Vir

MAgna est in me Eminentissimi Principis indulgentia, qui qualibuscunque officiis meis tam benigne favet, ut tute asseris. Verum hanc gratiam secundum Eminentiae Suae dignationem tribuo humanitati tuae, ut qui tuis officiosissimis verbis conatus meos relevare satagas. Caeterum ipse mihi conscius sum, quantum ea, quae a me aguntur, sint Eminentissimi Domini meritis, ac dignitate inferiora, certe & votis meis. Sed quando

do non possis, quod velis, ait ille, velis quod possis.

De re litteraria pauca admodum occurrunt, quae hodie scribam. Prodit nunc primum liber gallicus unius e nostris ad probandam libri Judith divinam auctoritatem. Is quantocius Romam ad vos cum aliis perferetur.

Nondum vulgata est responsio ad Retractationem *Peccati Philosophici*, cujus doctrina expressis terminis traditur a Patre Georgio de Rhodes, qui auctores ejusdem sententiae laudat de Lugo Ponink, Lessium, & Henriquez. Unde mirum est negari ab illo scriptore, qui Retractationem condidit, hanc doctrinam ab ullo e Patribus propugnari. Satius esset, ut haec pestilentissima doctrina apud quosvis auctores absolute damnaretur. Sed haec ad vos. De cetero verbis exprimere non possum, quanti faciam & eruditionem, & benevolentiam in nos tuam, quam quibusvis officiis demereri ego, sociique mei, in primis D. Michael Germanus, cuperemus. Vale.

Parisiis IV. Id. Mart. 1690.

IX.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

QUantum dolori meo levamen attulerit postrema, quam hodie accepi, epistola tua, non satis verbis possum exprimere. Quippe novi in dies hic circumferuntur rumores de adversa, & pene affecta valetudine Sanctissimi Domini Nostri, quem sospitem, & prospera praeditum senectute ex tuis litteris cum incredibili voluptate intellexi. Faxit Deus, ut tam felix nuntium confirmet in posterum diuturna tanti Pontificis incolumitas, cujus annos vitae utinam ex meis augere possem. Siquid poterit ad hoc obtinendum, precationum nostrarum sedulitas; nullus Pontificum longiori dignitate perfruetur.

Cum multorum idem est votum, tum maxime id ad se pertinere, & e re sua esse certus est, ut quidem puto, Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, qui a Rege Christianissimo nuperrime designatus est in futuram promotionem Cardinalis. Quod vero ejus designatio Sanctissimo Domino Nostro accepta fuisse fertur, inde certam habeo brevi sequuturae concordiae conjecturam. De hac designa-

gna-

gnatione ita quidam Gallicus poeta lusit haud ineleganter:

Vous voilà revêtu d'un èclat tout nouveau:
Le Roy vous a nommè. Vous ètes par avance
Bien plus que Cardinal sans avoir le chappeau.
Jouïssez sans impatience.
D'un choix ou tant d'honneur est joint.
Le choix du Roy vous donne une [illegible]ence,
Que la pourpre ne donne point.

Quanquam poetica licentia est in duobus ultimis versibus, quos ad rectum sensum facile ipse reduces, si ita judicabis.

Habes hic versus latinos Santo[illegible]i de Hortis Versaliensibus, quos utinam tecum lustrare liceret una cum Illustrissimo Abbate Trevisano, cujus adventum hic avide expectamus. Ex eo intelliges, quanti te, tuamque benevolentiam, uti & eruditionem faciam. Vale.

Parisiis XIII. Cal. Apr. 1690.

ADM.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

REdditae mihi ſunt literae, quas praeterita hebdomade deſideraveram, una cum praeſentibus, geminoque gaudio me cumularunt. Siquidem ex his intelligo, quanto cum ardore P. T. commiſſi ſibi muneris partes impleat, ipſamque expectationem humaniſſime praeveniat. Librorum ſarcinam, quam Lugdunum miſiſſe ſignificas, meae curae erit opportuno tempore inquirere; nec mihi grave accidit te nonnihil addidiſſe P. Procuratori reddendum.

Critica Patris Pagi in Annales Baronii jam, ut audio, Romae legitur; quapropter priuſquam certiorem faciam P. T. ſuper hac re, poterit adhuc immorari.

Quod attinet ad elucubrationes Domini du Pin, jam ſcripſi in elapſis poſtremum deſiderari volumen.

Librum, quem nomine P. T. Eminentiſſimo Domino reddere jubeor, reddam utique omni officiorum genere comitatum.

Caeterum gratulor veſtrae Galliae inſignem virum Bellovacenſem Epiſcopum heri mane Purpura ornatum ab eo Pontifice, qui ut optimus niſi opti-

ptima ſeligere nequit. Gratulor Romanae Eccleſiae, quae hoc erga Gallias benevolentiae pignore veterem cariſſimamque neceſſitudinem neſcio quo fato divulſam arctiori vinculo renovabit.

Tu vero me ama, ſciaſque in hac Aula plurimi fieri virtutes tuas. Vale.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illuſtriſſime Domine.

EX ſingulis epiſtolis tuis magis magiſque intelligo, quanti mihi facienda ſit benevolentia, & amicitia tua, quantumque honoris ex iſto litterarum commercio, quod tam ſedulo, & ſtudioſe proſequeris, ad me perveniat. Miror in tot, & tantis occupationibus ſuis Sanctiſſimum Dominum noſtrum, in illa aetate, poſſe ſufficere auſcultandis novis Rei litterariae, nec ſatis admirari queo Suae Sanctitatis dignationem, ut ad mei etiam commemorationem deſcendere non infra ſe ducat. Ego vero te felicem, fortunatumque reputo, cui in tali ſchola mereri datum eſt. Cum enim animo repeto grata illa colloquia, quae olim Romae cum Eo habuimus, ſatis conjicio voluptatem iſtam, quam ex quotidiana conſuetudine percipis.

Uti-

Utinam vero mihi liceret aliquid tibi suppeditare, quod Suae Sanctitati aliquod gravissimarum curarum solatium, ac levamen afferre posset. At praeterquamquod tenuissima est facultas mea, tute satis intelligere potes, quam non multa sint, quae mihi in his angustiis posito litterarum discrimini committere liceat. Immo & quae identidem scribo de rebus ad PP. Soc. pertinentibus, non sine quadam formidine ad te defero. Nam, etsi de tua & prudentia, & fide plene securus sim, scio tamen in Aula vestra non deesse exploratorum greges, qui ex alienis detrimentis sua captant commoda. Quanquam nihil est, quod pro me verear, ut qui nihil mortale sperem: sed in ea Congregatione vivo, cui aliquod incommodum facessere nec libet, nec licet. Haec fusius persequor, quam par esset, ut rerum nostrarum, atque animi mei statum intelligas. Non deero tamen, quoad in me erit, officio, ut te de rebus ad litteras pertinentibus identidem commonefaciam, & quidem in utramque partem, ne quis me partibus studere, qui veritati, ac sinceritati unice addictus sum, forte suspicetur.

Quia vero Peccati Philosophici materia longum fortasse rixarum funem trahet, operae pretium erit te de singulis etiam minutiis admonere, ut totam rei seriem intelligas. Tantum te non taedeat nostrarum ineptiarum. Unus e Patribus Lovaniensibus nomine *Dreux*, qui thesim illam de Peccato Philosophico in Belgio propugnaverat, edidit libellum adversus Arnaldum, quem impugnatorem, & adversarium agnovit', eumque gravibus, ut ferunt, conviciis proscin-

dit. Arnaldus ad retractationem, nescio an etiam ad hunc libellum, responsionem vulgavit. Neutrum adhuc mihi videre licuit, quamprimum recuperare potero, ad te missurus. Interim habes hic quamdam prolusoriam epistolam cujusdam, ut ajunt, Equitis, qui sub nomine Arnaldi adversus retractationem stilum suum in promptu exercuit. Erit tibi hac hebdomade loco Diarii litteratorum, quod propter sacra Festa incidentia vacat in hebdomadem sequentem. Haec Festa tibi felicissima auguror, & qui sortitus es ingenium nobile, & eximias animi dotes, precor Deum O. M., ut illas cumulet aliis donis, quae te in albo illorum aulicorum adscribant, quorum una cogitatio de Coelestibus est, & qui terrena omnia, voluptates, census, & honores infra se ducunt. Haec omnia sine dubio tibi non deerunt, nec patieris, quae animi tui excelsitas christiana est, studia tua istis inhaerere. Vide, quo me rapit immoderata licentia mea! Sed parce amico, Vir Illustrissime, tibi meliora, & solidiora in illum diem auguranti.

Verum pene praetermiseram id, quod a me nuperis litteris tuis in amici cujusdam tui gratiam de Patriarchatu Aquilejensi postulaveras. De ejusmodi argumento nihil singulare habeo in adversariis meis, quod Amici tui, ut quidem asseris, eruditi notitiam effugere possit. Trita sunt, quae apud Baronium ad annos 570. 602. & 605. hoc de argumento leguntur. Fuse de eo agit recentissimus scriptor Ludovicus Thomassinus, Oratorii Presbyter eruditus in libris de *Disciplina Ecclesiastica*, praesertim in *parte* 1. *lib.* 1. *cap. XXI. XXIII. & seqq.* editionis latinae. Reliqua loca indicatio ipsis capitibus praefixa suppedi-

pedi-

peditabit. Romam ſine dubio pervenit haec editio latina, quae Gallicae poſt aliquot annos ſucceſſit. In editione etiam operis Petri de Marca de *Concordia Sacerdotii*, & *Imperii*, in editione, inquam, anni 1669; quae in Bibliotheca Eminentiſſimi Domini Cardinalis Caſanatae conſuli poterit, legenda additio Ballutiana pag. 20. Conſulenda etiam ejuſdem auctoris, ſcilicet Marcae Diſſertatio ſingularis *De Primatu Lugdunenſi*, & *caeteris Primatibus*, quae una eſt ex tribus editis Pariſiis eodem anno 1669. in 8°.; in libro Morini de *Primatuum*, ac *Patriarchatuum origine* nihil hac de re invenio. Quae hic moneo, vereor, ut ne ſupervacanea ſint: ſed haec tibi ſaltem, argumento erunt, quanti faciam ea, quae ex te, vel ex amicis tuis a me poſtulantur.

Quod Michaelem noſtrum in numero tuorum habeas, gratiam habeo; ſed ſi eo in numero noſtrum etiam Theodoricum Ruinartum, unum e ſociis meis, juvenem impenſe litteris addictum, & tuarum epiſtolarum admiratorem in multis, & praeconem ponere non graveris, non levis beneficii loco id apud me erit. Is eſt, qui Acta ſelecta primorum Martyrum nuperrime protulit in lucem, cujus exemplar noſter Procurator Generalis Sanctiſſimo Domino noſtro ante has tres ſuperiores hebdomades obtulit, per curſorem tranſmiſſum. Sed in plura hanc epiſtolam protraho, dum te litteris conveniendi, & alloquendi nunquam ſatietas datur. In fine patere, ut te moneam, ut Sanctiſſimi Domini noſtri graviſſimas curas jucundis tuis interpellationibus relevare ne ceſſes, ut eo Pontifice diu nobis, & Eccleſiae frui liceat. Gratias habeo quam maximas Eminentiſſimo

Domino meo, quod mei memoriam habere, & facere non dedignatur. Vale, & ſtylo neglecto, longioris, & taediofae epiſtolae pro tua humanitate parce. Iterum vale.

Pariſiis VI. Cal. Apr. 1690.

Vir Illuſtriſſime.

Modo reſcio illuſtriſſimum Abbatem Trevifanum huc tandem proſpere appuliſſe.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO,

LUDOVICUS SERGARDIUS.

S. P. D.

VEreor, ne poſtremae, quas ad te ſcripſi, literae imprudentiae nomen accipiant, ea parte praecipue, qua in dtſcinctae moralis Authores acri calamo ferebar. Forſan & animum meum non mediocris angeret timor implacabiles hoſtes irritandi, niſi ſcirem eo mihi cum Viro rem eſſe, apud quem peribit quidquid male caute a me ſcriptum eſt. Exigit hoc amicitiae foedus, quod tecum inviolabile pepigi, ſcribendique ſecuram libertatem peculiari ſibi titulo vindicant quicunque Literariae Reipublicae nomen dederunt.

Non eſt meum (& ſi in Aula verſor) faeculi mores officioſis mendaciis palpare; quapropter ſi interdum epiſtolas ſcripſerim parum prudentiae legi-

legibus concinnatas, dabis hoc tuae in me benevolentiae, dabis libero genio, & veritatis amanti.

Ut tibi vices referam, meum foret certiorem te facere de iis, quae a literatis viris Romae aguntur. Verum, quid fcribam tua virtute, & eruditione dignum, non invenio. Pauci funt, qui in hac Aula operam dent inutilibus (ut ajunt) ftudiis. Noftrorum ingeniorum occupatio Forum eft, Clientumque defenfio; quique ab infelici Pupillo plus auri corrodit, literatior habetur.

Solus fere Ciampinus (quem optime nofti) Typis mandare aliquid luce dignum profequitur. Noviffime publici juris fecit Opus *de antiquis Mufivis Imaginibus* multa eruditione refertum, variifque Iconibus affabre delineatis curiofum; quod quidem tibi mittere ipfi Authori magni, ut puto, erit inftar aufi.

Caeterum Sanctiffimus Pater hoc Pafchali tempore Functionibus rite peractis non femel Populo publice benedixit, fpemque dat affiduis laboribus multam adhuc fenectutem implendi.

Initio Pontificatus fcripfit Sanctitati Suae Frater Natalis Alexander, cui refpondere ego juffus. Acris fuit refponfio, & gravis quaedam veluti admonitio, ut a contemptu S. Sedis revocaret Virum caeteroqui eruditiffimum. Scire nunc a te vellem (fi commodum cedit) an conqueftus fit de epiftola illa, an vero patienter tulerit Sanctiffimi Patris zelum, & amorem.

Finem fcribendi faciam, tibique, ac fratri Germano me ftudiofiffime commendo. Vale.

Ut vero ad tuas gratiffimas deveniam, cupidiffime expecto refponfionem ad retractationem Peccati Philofophici, cujus doctrinam coram non-

nullis Eminentissimis PP. hujus rei penitus inſciis pluribus nudius tertius exprobravi. Epiſtolas Provinciales multis commendavi, aliis domum miſi, alios rogavi enixe, ut ſedulo perlegerent. Forſan rei foeditate permoti id conſilii capient, quod in Eccleſiae utilitatem, & Jeſuitarum moderationem ceſſurum eſſe judicabunt.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illuſtriſſime Vir.

LItterae tuae in dies mihi fiunt melle, & favo gratiores, earumque vel unus verſus pro magno mearum foenore eſt. Fortaſſe ingenii mei exilem pauperemque venam apud te ſupplebit aliarum rerum miſſitatio, quas guſtui tuo injucundas non eſſe ex te intelligo. Habes hac vice faſciculum non modicum, ſed minorem tamen, quam ſperabam, deficiente etiam hodie Diario litteratorum, quod propterea geminum, ut quidem conjicio, proxima hebdomade accepturus es. Nunc vero mitto, quem poſtulaſti, libellum contra Peccatum Philoſophicum, cujus ad calcem extant verſus illi Gallici, quorum lectione te, amicoſque tuos tantiſper recreatos fuiſſe ſignificas. Deerant hi verſus in prima libelli editione, ſed acceſſerunt

runt

runt in secunda, quae furtim his in partibus facta est. Eidem libello Antidotum alterum (nam primum jam sine dubio accepisti) opposuerunt RR. Patres. Utrumque libellum scilicet; atque Antidotum, res tamen contrarias, facilius fuit in unum fasciculum, quam eorum auctores in unam eandemque sententiam, convenire. Posteriorem Arnaldi de eodem argumento libellum necdum impetrare mihi licuit certe; nec Patris Reux Jesuitae Lovaniensis adversus Arnaldum expostulationem. Curabo, ut quantocius fieri poterit ad te perferantur.

Interim tibi, Vir eruditissime, non ingrata forsan erunt cum Carmina, tum gratulatoria Oratio pro designatione Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis in futuram Cardinalium promotionem. Id saltem ex his intelliges, quanti apud nostrates fiat Romana Purpura.

Quod Illustrissimo Fabretto, cujus in nos benevolentia, & beneficia animis nostris defixa haerent, accepta fuerit illa de Numismate Galbae dissertatio, mihi pro magna voluptate fuit, quod haec sit occasio renovandi in ejus memoria mei, nostrique Michaelis Germani recordationem, qui ipsum in primis colimus. Quanquam nos ambos ab ejus cogitatione non esse prorsus alienos certiores facti sumus ex relatu Illustrissimi Abbatis Trevisani, qui nos ejus nomine salutare, mihique litteras tuas gratissimas reddere non est gravatus. Heri profectus est Versalias, ut Cardinalatus insignia Emin. Cardinali Forbino a Rege imponenda ministraret. De hoc alias plura. Vale; & quam nobis benevolentiam tam cordate offers,

integram, & illibatam servare ne graveris. Iterum vale.

Parisiis III. Non. Apr. 1690.

Illustrissime Domine

Non abs re erit hic adjicere rumorem spargi ex Urbe, cymbam illam, in qua deferebantur libri hinc ad vos transmittendi, captam esse ab Hispanicis piratis, ac Finalium deportatam. Incertum esse rumorem credo, sed tamen tuae prudentiae erit id certius rescire, & libros Eminen. Cardinali Patrono inscriptos, si res ita sit, repetere. Inclusi sunt hi libri in Sarcina Crozerii una cum duobus fasciculis directis ad Patrem nostrum Procuratorem, quorum in uno unum est exemplar Actorum selectorum primorum Martyrum, quod noster Theodericus Ruinartus Eminentissimo Domino offerendum curabat.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

(1) Nova in diem accipio documenta propensae tuae voluntatis erga Eminentissimum Dominum, a quo mutuae benevolentiae studio amari pro certo habeas.

Peccatum Philosophicum Jesuitarum diu est, quod Romae per manus traditur, sicuti etiam illius

lius censura; nec satis mirari desinam impune doceri errores ab his Patribus, quorum Moralis Theologia bonos mores pessimo veneno jamdiu corrupit.

Amicus quidam Ecclesiasticae eruditionis peritissimus rogavit me, ut Paternitatem Tuam consulerem super Patriarchatu Aquilejen. Graden. & Forojulien., ratus apud eam peregrinum aliquid supra communem vulgi notitiam inventurum. Ne pigeat ergo dare manum viro erudito, cui multum debeo cum propter liberalia studia, quibus incumbit, tum etiam ob singularem amorem, quo me prosequitur.

Caeterum Sanctissimus Pater prospera viridique utitur senectute, bonique omnes Nestoreos illi annos precamur. Tu interim vale, & Fratri Germano plurimam meo nomine salutem dicito.

(1) Epistola haec debet aliam praeire, quae Pag. 304. edita sic incipit: *Ex singulis Epistolis*.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Vir

FRustratus sum hac primum vice solitis deliciis meis, lectione litterarum tuarum. Nullas quippe hac hebdomade ex te accepi. Hinc metus, & an-

anxietas, ne quid incommodi tibi acciderit. Tantum valeas, & pax erit.

Cum Diariis superioris hebdomadae, & praesentis mitto ad te primum carmina Commirii e Societate Jesu poetae elegantissimi de Archiepiscopi Parisiensis designatione ad Cardinalatum. Luserunt & alii in idem argumentum. Sed non mihi visi sunt tanti, ut ad vos haec perferrentur. Nam in poeticis mediocrem esse res frigidissima est. In istis Commirii versibus advertes, quid *de nova haeresi* sentiat poeta, cui magis fidem adhiberem in pingendis versibus, quam in definiendis dogmatibus Theologicis.

Sperabam hac vice ad te mittere tertiam Patrum Jesuit. Epistolam de Peccato philosophico, (sic in dies crescit, & sobolescit) sed in alteram hebdomadam differre cogor hanc missionem.

In Diario hujus hebdomadae fit mentio de quodam tractatu super Regulam S. Benedicti *de Missa, & Communione*, qui Tractatus auctorem habet hominem tui in primis studiosissimum, & observantissimum. Exiguus est mole libellus, quem ad te mitterem lubens, si res tanti esset. Videbo, quid occasio paritura sit in posterum.

Jam accepi suavissimas litteras tuas, quae me mirifice recrearunt.

Illustrissimus Abbas Trevisanus Breve Apostolicum Archiepiscopo Parisiensi consignavit, atque honorificentissime, ut par erat, ab humanissimo atque eruditissimo Praesule acceptus est, quod per alios melius rescies.

Prodiit tertia editio *Demonstrationis Evangelicae*, auctore Petro Daniele Huetio Episcopo Abrincensi designato, olim Serenissimi Delphini propraecepto-

ptore viro cum primis erudito, qui de proximo humaniorum litterarum occasu vaticinatur in sua Praefatione, *quae*, inquit, *ita exaruerunt hac aetate, ut qui eas excolat, vix ullus sit, qui excolentibus honorem habeat, plane nullus*. Non te tangit prior illa querela, qui politiores musas sic familiares habes? Nec desunt etiam, qui ejusmodi musis honorem habeant. In fine Vale. Raptim.

Parisiis IV. Id. April. 1690.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

HAc vice desunt mihi literae tuae; nam Tabellarius jussus pro mercibus, quas Romam importabat, solvere vectigal, ad fines status Ecclesiastici commoratur cum sarcinis renuens ulterius progredi. Inscius itaque, quid ad tuas respondeam, novorumque inops hanc amoris in me tui testem epistolam scribo, qua cum summi Pontificis, tum Eminentissimi Domini optimae valetudinis certiorem te reddo, rogoque, ut in numero tuorum magis magisque in diem me reputes. Vale.

Exciderat tibi narrare ab Italo quodam Poeta versiculos de Peccato Philosophico (ut audio) non illepidos fuisse exaratos, quos Illustrissimus

Fa-

Fabrettus statuit crastina die Summo Pontifici perlegere.

Hos curabo ad te mittere, si tanti Poetae ingenium visum fuerit. Iterum vale.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine

DUm tantisper Peccati Philosophici materia vacat, mitto ad te quartam Illustrissimi Episcopi Meldensis epistolam contra Ministrum Juriosum, quem non immerito injuriosum dixeris, aut potius furiosum: tanta est ejus animi impotentia in rebus Fidei, & controversiis tractandis. Puto ad te jam pervenisse, aut certe brevi perventuras tres priores ejusdem argumenti epistolas, quas in Sarcinam Crozerianam includi curavi cum aliis libris, quorum indicem ad te praemisi. Nam qui ex Urbe rumor huc manaverat, interceptam forte ab Hispanicis piratis istam sarcinam, falsum esse puto, quippe qui nullis postea litteris confirmatus est. Harum Epistolarum auctor Illustrissimus Episcopus Meldensis, olim Serenissimi Delphini praeceptor, quanti sit meriti, tibi obscurum esse non

non existimo. Ejus enim eximia scripta sic in publica luce micant, ut viro erudito, & literatorum, uti & litterarum studiosissimo esse obscurae non possint. Opus Illustrissimi Auctoris praecipuum est de variationibus Haereticorum nostratium in rebus Fidei. Mirum est, quantum eos torserit hic liber, duplici volumine in quarto, ut vocant, gallice scriptus. Hinc furiosi illi Juriosi ministri libelli, seu epistolae, ut ille vocat, paraeneticae ad greges suos in Gallia relictos, dum is in Hollandia, nunc in Anglia securus degit cum Principe Arausicano somniis suis, quae propsetias appellat, seu Apocalypseos explicationes, miseros homines ludificans: quale est illud, quod eos restituendae superiori anno Hugonoticae in Gallia factionis expectatione adeo demulserat, ut id certo eventurum illi sperarent. Et certe cum ipse Principis Arausicani consiliorum, & arcanorum esset particeps, & conscius, non male in speciem conjecerat; armata quippe in Galliam tota Europa, & quasi conjuratione omnium facta, ut illustrissima Catholicae Ecclesiae portio pessundaretur. Verum Deo gratias; jam abiit annus ille 1689. clade Galliae, ut ipsis videbatur, consecrandus, & restitutione perditae Religionis, quae caput modo extollere non audet, ut antea solebat. Sed haec pluribus, quam par erat ad Virum majoribus rebus occupatum, cui gratiam habeo, quod tantillum temporis ad mihi scribendum suffurari non gravatur. Te loquor, Vir Illustrissime, quem adeo non rogo, ut te ab hac molestia eximas, ut contra ad eam imposterum sustinendam te hortari non dubitem: tanta est litterarum tuarum in me aviditas, tanta in me de tua humanitate confidentia.

Va-

Vale, & me, si quis alius, tui studiosum amare perge.

Parisiis XV. Cal. Maj. 1690.

P. S. Mox publicari coepit tertia Patrum Epistola de Peccato Philosophico, quam ad te hodie mittere visum est ob novitatem.

LUDOVICO SERGARDIO,

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine

NEscio, quo afflatu eadem ambo eodem pene momento scribebamus, tu mihi, ego tibi, ut scilicet ab incauta litterarum nostrarum, ubi de Jesuitis agitur, pervulgatione caveremus. Nobis itaque licet esse securis, quando utrique eadem cautio, eademque sententia, quo nihil efficacius ad conciliandam, retinendamque mutuam amicorum benevolentiam. Sane quod de genio, tuo parum aulicis triçis accommodato subdis, mire etiam consentit cum meo: ut non dubitem, si semel mutuus utriusque conspectus daretur, quin statim in mutuum amorem summopere exardesceremus. Quanquam jam id litteris tuis in me perfectum est.

Non-

Nondum in manus meas pervenit Arnaldi libellus alter, si tamen primus ejusdem est (quod non puto) auctoris, liber inquam ille secundus contra Peccatum Philosophicum, nec nisi duo, aut tria ejus exemplaria in hanc urbem furtim inferri potuerunt: adeo omnes aditus, omnesque, ut ita dicam, rimae acclusae sunt. Utinam tanta diligentia ad arcendum propulsandumque peccatum adhiberetur. Neque etiam tuta via per cursores, propterea quod etiam sigillatis epistolis parum tuta fides. Certo scias me quamprimum id fieri poterit, quidquid ad hanc rem pertinet, ad te incunctanter missurum.

Brevi prodibit in pubblicum tomus primus Historiae Ecclesiasticae Parisiensis, auctore Patre Du Bois Cong. Oratorii Theologo erudito: qui tomus ad tertiam tantum stirpem Regum nostrorum, id est ad annum millesimum pertingit. An vero Auctor incoeptum opus ad finem usque persecuturus sit, dubitare licet ex affecta ejus valetudine. Primi illius tomi distributionem in proxima Cleri Gallicani comitia, quae medio Majo celebrabuntur, differt.

Pater Pagi modo in hac urbe versatur, atque editionem molitur secundi tomi sui in Baronii Annales. Sed non facile his temporibus Bibliopolae nostri imprimendis hujusmodi operibus expensas suppeditant.

S. Bernardi editio nostra intra mensem Majum, Deo dante, absolvenda erit: qua absoluta, ejus exemplum ad SS. Dominum nostrum mittere festinabo. Mirifice me recreant litterae tuae, quae de Suae Sanctitatis valetudine certum me reddunt, quem anxium falsi de ejus interpolatione reddiderant.

rant. Sane haud scio, an sit quisquam, cui magis cordi sit tanti Pontificis salus, pro qua Deo O. M. vota facere non cessamus.

Gaudeo, quod Illustrissimus Ciampinus opus suum de Musivis publici juris fecerit, quod Reipublicae litterariae non potest non esse magnopere fructuosum. Nemo est, qui ejus dignitatem, & honorem pluris faciat, quam ego, qui continua ipsius benevolentia usus sum, dum Romae versarer, uti & Illustrissimi Fabretti, cujus memoria semper animo meo obversatur.

Pater Natalis Alexander statim post acceptum responsum, quod jussu Sanctissimi Domini Nostri sibi redditum est, ad nos venit, & me absente uni e Sodalibus meis dixit, se accepisse Breve Apostolicum, cujus initium quidem elogii, & suavitatis plenum erat, sed quod in cauda tantisper pungebat, monebatque, ut injustam in Sedem Apostolicam sententiam retractaret exemplo Augustini. Id vero in aurem: nam omnibus clam esse volebat. Nec plura ille hac de re. Jam charta deficiente, restat, ut te rogem, ut valetudinem tuam cures, & mei memor esse pergas. Vale.

Parisiis VIII. Cal. Maji 1690.

ADM.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

QUod epistolas meas laudibus extollere digna-ris, non minus diserte quam amanter mentiris. Ignosce verbo; nam si eas in me laudes agnoscerem, quas tu mihi tribuis, timeo ne arrogans; sin repudiem, atque rejiciam, vereor, ne ingratus adversus te sim, cum de tuo judicio ipse detraham eo ipso, unde sim ornatus. Ut ut res se habeat, certo scias me non minori voluptate literas tuas perlegere, quam tu meas accipere humanissime significas. Illud tamen discrimen & quidem maximum inter utrumque nostrum intercedit, quod tu nil nisi meras ineptias, &, quod proprium est aulicorum, plenum officiosis verbis circuitum in literis meis attingis; ego vero tuis perlectis semper aliquid novi, ac peregrini de Republica literaria compererero, meliorque in dies evadam.

Quapropter gratissimus mihi accidit Libellus contra Peccatum Philosophicum, cujus in calce Dialogum inter Poenitentem, ac Confessarium Gallico lepore consperfum merito accessit. Alterum quoque RR. PP. antidotum accepi, quanquam non licuit adhuc perlegere, nam, literis tuis coram Eminentissimo Domino apertis, eidem tradi eas oportuit. Posteriorem Arnaldi de eodem

argumento Libellum, Patrisque De Reux expostulationem non mediocri desiderio expecto.

Perlegi avidissime carmina in futuram Parisiensis Archiepiscopi Promotionem concinnata. Stylum laudo, materiem scribendi non satis.

Illustrissimus Fabrettus totus in antiquis monumentis aliam Inscriptionem tibi mittendam nudius tertius pollicitus est. Nondum copiam fecit, urgetque a tergo Tabellarius.

Quod Illustrissimus Abbas Trevisanus literas meas tibi reddiderit, rem quidem fecit mihi gratissimam, ut qui occasiones cupio pronum erga te animum non uno argumento declarandi.

Romae percrebuit rumor, imo certissimus allatus est nuntius ab hispanicis piratis captam Cymbam Massiliensem, quae Avenione solverat optimi vini cadis onerata; sit illa necne, quae Libros Eminentissimo Domino inscriptos ferebat, adhuc ignoro; hoc unum scio ex literis per Finalis Gubernatorem scriptis sarcinulam quandam Cardinali Patrono ex hoc naufragio fuisse reservatam.

Quoquo modo res se habeat, bono animo sis, res enim tanto nomine munitae positae sunt extra fortunae aleam.

Caeterum magna nos tenet expectatio, cupimusque enixe tandem aliquando compositos animos intueri, Romanamque Aulam cum Galliis vestris pulchro, ac duraturo foedere conjunctam gratulari.

Invictus terra marique Ludovicus, & usque ad invidiam potens, ac felix hoc uno rerum gestarum famam augere poterit, si se ipsum vicerit, & si Ecclesiam Matrem amantissimam tenerius velit

lit amplecti, ac deosculari hoc praesertim tempore, quo illa manus porrigit, blanditiisque tantum Filium invitat. Sed haec supra familiarem epistolam sunt, nostrae sortis homines non tangunt, nisi ea parte, qua communis causa, Dei nempe honor, & publica tranquillitas agitur.

Interim vale, & Ruinarto, Germanoque plurimam ex me salutationem dic.

Romae VIII. Cal. Maji 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine

MAgnopere gaudeo, quod Santolii nostratis Musa Eminentissimi Domini animum tantisper recrearit. Utinam mihi saepe daretur occasio similes politioris litteraturae elegantias submittendi. Sed has non fert quotidie tellus nostra borealis. Quanquam hodie, vel proxima hebdomade aderit fortasse supplex ad tuos pedes Santolius, veniam deprecans pro sua Pomona, profanis Diis Deabusque valere jussis. Nempe ille ejuraverat falsa haec Numina, dum Regiorum hortorum Praefectus ab eo Pomonam extorsit. Jurisjurandi memoriam refricuit Illustrissimus Episcopus Meldensis. Ille fune ad collum alligato fa-

-inus piat. Habebit versus ejusmodi poenitentiales, qui fortasse te ad risum commovebunt. Fas sit aliquando tecum nugari, ne rebus seriis nimis quam immergaris. Quod secessum ames, probo, modo ne amor iste prorumpat tam cito in actum. Officia abs te exigit Sanctissimus, & Optimus Pater, & clementissimus Dominus sibi ea item vindicat. Inter haec reddes te tibi aliquando, ut Deo vaces. Hoc certo scio, nec me falsa de tui animi statu ludet, uti spero, conjectura. Parce, Illustrissime Vir, nimiae amici (si sic loqui licet) libertati, qui vicissim abs te eumdem postulat candorem, qualem sane in te esse jam perspectum habeo. Plura dicere volentem intercipit brevis cursoris discessus. Diarii loco hodie habebis versus Santolii promissos, quos ab auctore nunc primum recuperavi. Vale, & me, si potes, affectu, & studio vince.

Parisiis Cal. Maji 1690.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Accepi hac hebdomade una cum carminibus Commirii geminum diariorum pensum, quod me summopere delectavit ob tot, ac diversas opes, quibus in diem augetur literaria respublica. Tractatus super Regulam S. Benedicti, de Missa, & Com-

Communione gratissimus mihi erit, illiusque Authorem mei (ut asseris) studiosum noscere, & toto animo amplecti cupio, ut gratuitae, qua me prosequitur, benevolentiae aliqua saltem declaratione respondere queam.

Praefatio Serenissimi Delphini olim Praeceptoris super tertia Demonstrationis Evangelicae editione nunquam satis de litterarum occasu mihi conquesta videbitur. Fausto Numini gratias ago, quod me in hanc lucem reservavit, qua, regnante Alexandro Octavo Principe non minus pietate quam omni virtutum genere ornatissimo, reduces Musas Romae vidimus, & disciplinas diu exules tandem ad priorem cultum redituras speramus. Equidem nescio, quo misero, ac inaudito bonarum Artium fato adeo superioribus annis passim literae negligebantur, ut pene criminosus esset, ac Aedilem metueret quisquis politiori litteraturae operam dabat. Quapropter pauci licet, & in abdito serio dolebamus trans maria, & alpes ingenium, cultum, & peregrinas Artes migrasse; nobis barbariem, & audacem ignorantiam relictam esse. Nunc vero licebit, Deo dante, ad ingenuae originis decora provocare, exterisque Nationibus ostendere non adeo consenuisse Italorum ingenia, ut nemo sit, qui majorum vestigiis audeat inhaererere, & avitum nomen extendere. Tantum fata non invideant nobis Summi Pontificis vitam, a qua pendet quidquid boni cadente, & effoeto hoc saeculo sperare licet. Et quidem tam prospera utitur senectute Sanctissimus Pater, ut nostra felicitas in multos annos duratura videatur. Nuper in die Festo Divi Marci Militibus ad transmarinam expeditionem collectis in Atrio Quirinalis

benedixit tam laeta acclamatione, ut in communem Christiani nominis hostem nemo non accenderetur.

Caeterum Illustrissimum Abbatem Trevisanum una cum Cardinali Forbino in diem expectamus, credimusque Virum rerum agendarum scientia peritissimum brevi Regis animum Romanae Ecclesiae conciliaturum.

Tu interim, quem mihi virtus, & veritatis studium cognatione quadam animorum copulavit, rem facies amori meo gratissimam, siquid mihi imperare decreveris. Vale una cum Ruinarto, Germanoque.

Romae VI. Non. Maj. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

INsignem inscriptionem, quam Illustrissimus Fabrettus per te mihi submittere non est gravatus, magni facio, cum ob perseverantem optimi, & cordati Amici in me benevolentiam, & dignationem, tum ob veteris monumenti pretium, & elegantiam. Obnixe te rogo, ut eruditissimo Viro ex me gratias referas, easque ipsius, qua polles, facundiae verbis exornes, eidemque testatum fa-

facias, ejus recordationem semper in corde, frequenter & passim in ore meo, meique Germani, qui itidem ipsi plurimam mecum salutem dicit, magna cum voluptate versari. Quam a me exigis fidem in premendis illis rebus, quas libere ad me pro tua necessitudine scribis, jam tibi superioribus litteris meis pollicitus sum, nec unquam Deo dante committam, ut quidquam damni, aut periculi ex mea temeritate, aut imprudentia accipias. Non est, quod ea de re, quatenus ad me spectat, iterum te moneam.

Mitto ad te cum Diariis litteratorum versus Commirii de promotione Cardinalis Forbini, plura ad te missurus, si liberum esset litterarum commercium. Nunc vero adeo intercepti sunt omnes aditus, ut Arnaldi secundum Libellum adversus *Peccatum Philosophicum* nec dum obtinere potuerim; nec liberum est hac in Urbe quidquam contra hanc pestem mussitare. Utinam nec peccare liberet, nec liceret. Solus inter Episcopos nostrates in hoc monstrum acriter dimicat Illustrissimus Archiepiscopus Remensis, qui retractationem a duobus Jesuitis ejusmodi doctrinae professoribus exegit, ab eisque obtinuit, ut contrarias theses in suo Remensi Collegio propugnarent. Utinam id ex animo, & ex corde faciant! Nam dici non potest, quantum hoc malum etiam in plebis animos serpat.

Non possum verbis exprimere gaudium, quod ex prospera valetudine SS. Domini Nostri percipio. Vivat Beatissimus Pater nestoreos annos! Sane brevi in sinum Suae Sanctitatis convolabit Bernardus noster, cujus solus Index prior restat

X 4 im-

imprimendus. Tunc mortem laetus obibo, cum hoc labore defunctus fuero. Vale.

Parisiis VIII. Id. Maj. 1690.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

NOndum redditae mihi sunt gratissimae tuae, & quia ocium superest, cogitavi tibi mittere versiculos quosdam nuper ad amicum scriptos. Pulchra est materies, sed Musae parum felici tuae humanitatis erit parcere, & excusare ingenium longe diversis occupationibus addictum. Occasio scribendi haec est. Adolescens quidam filius unicus matris suae, fortunisque dives sub tutela PP. Societatis merebatur. Honesta facies, & liberalis indoles (quam boni Platonici tanquam virtutis consortem plurimum in Ephebis solent adamare) curam illis injecit blanditiis terrore mixtis puerum expiscandi. Scis, quam sit capi facilis tenera illa aetas, & sub ferula magistra pavida, ac palpitans. Adolescens paulatim bracteolis delinitus, promissisque pellectus paternae domui, Matrique valedicit Societati nomen daturus. Jamque ex asse haeredes PP. Pisas (unde ille ortus est) Architectum miserant, qui Aedes satis amplas commensuraret, praediaque & pascua diligenter in redditibus describeret. Res tandem ad Patruum delata est,

eſt, qui Romae degit. Monitum jubet Nepotem huc advolare, ut ab illius mente, ſi fieri poſſet, puerilem inſaniam depelleret. Conſilium mihi communicat. Iubeo bono animo eſſe amicum, ſtatimque calamum arripio, & Epiſtolam, quam tibi mitto, raptim exaro.

Vere diceres divino ſpiritu agi Poetas; etenim adoleſcens ſaepius verſiculos legens, & animo repetens, veritatem agnovit, gratias egit Liberatori, & jam de Conjuge, de Magiſtratu, de tuenda augendaque Republica viriliter cogitat, relictis nugis, & Religionis formidine, quibus illum a recto tramite urbani graſſatores averterant. Habes non illepidam hiſtoriolam, quae tibi erit pro dimidio penſo praeſentis Epiſtolae.

Inter haec redduntur mihi literae tuae non uno nomine gratiſſimae. Tertiam video PP. epiſtolam de *Peccato Philoſophico*, cujus materies hodie paſſim Romae in ſermonibus eſt, & facta videtur malorum riſus & ſpes, bonorum indignatio. Nec te celabo habitam ſuper hac re cum Jeſuita controverſiam, qui tam audaci, tam impia fronte Theſim Divionenſem propugnabat, ut ſtupore victus ſiluerim. Poeta quidam ſuper *Peccato Philoſophico* Italico ſermone luſit, nec illepide, ut audio. Statim ac ad manus meas venerint verſiculi, tibi mittere feſtinabo, ut vices aliqua ratione rependam. Quarta Meldenſis Epiſcopi reſponſio ad Miniſtrum Jurioſum grata mihi fuit ſummopere, ut qui Virum prae ceteris eruditum multum fama acceperam, quanquam illius ſcripta nondum perlegerim.

Reliquum eſt, ut te Eminentiſſimi Domini benevolentiae certiorem in dies reddam. Epiſtolas tuas ipſe aperit, etiam me abſente, petita prius hu-

humaniſſime venia; tanta eſt enim illius curioſitas, & ſtudium in rebus veſtris perlegendis, ut brevem non patiatur moram, qua interim vocatus accedo. Scriptis tamen fidem adhibet inviolabilem, tantumque e litteris tuis furatur Typis demandata.

Interim vale, & meo quoque nomine ad literas incumbe, a quibus longe diſtineor.

Romæ VII. Id. Maj. 169●.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illuſtriſſime Vir

PAucis hodie ad te ſcribam, deficiente materia, quae digna ſit, ut tibi ſignificetur. Perendie ex hac urbe diſcedet Cardinalis Forbinus Romam profecturus. Credo cum eo diſceſſurum etiam Illuſtriſſimum Abbatem Trevifanum, quem vix ſalutare mihi contigit. Arnaldi Libellum alterum contra Peccatum Philoſophicum necdum comparare licuit. Id quantocius fiet a me, ſiquidem fieri poterit. Difficultatis cauſas tibi alias explicavi. Patris de Reux Expoſtulationem habemus, ſed manu deſcriptam. Impreſſam brevi me accepturum ſpero. Illuſtriſſimus Meldorum Epiſcopus quintum Commonitorium edidit adverſus Ju-

Juriosum ministellum, sed mole majorem, quam ut exiguo fasciculo includi possit. Aderit brevi occasio alia via ad te transmittendi. Prodit tomus tertius gallice scriptus ab Arnaldo contra Patrem Dechamps Jesuitam celebrem *De traditione Ecclesiae super doctrina Gratiae Augustinianae*. Vide, an habeatis duos priores tomos, qui Coloniae apud Nicolaum Schouten typis vulgati sunt. In fine tomi secundi habetur brevis Historia materiae de *Auxiliis*, ex actis sub Clemente VIII. confectis partim digesta. Rumor est apud nos, compositas esse contentiones, seu potius dissensiones inter utramque Curiam, vestram scilicet ac nostram, atque Episcopis a Rege designatis propediem Pontificias Bullas concessum iri; qua in re cardinem totius negotii versari existimant. Deum O. M. precor, ut aeterno foedere haec concordia coalescat: id quod a paterna SS. Domini nostri bonitate certo augurari licet, atque a Regis nostri in Romanam Ecclesiam veneratione. Vale, &, si me amas, animum tuum negotiis aulicis obrui ne sinas. Iterum vale.

Parisiis Id. Maj. 1690.

ADM.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

EPiſtola tua multis ad rem literariam ſpectantibus referta animum meum ſummopere delectavit, doleoque nihil novi mihi in praeſenti eſſe, quo ſtudio, ac benevolentiae tuae vices quoquomodo rependam. Certior tamen ſis ardentiori me voluntate, officiiſque, ubi facta deſunt, amicitiam tuam obſervaturum, qua nihil mihi accidere poterat jucundius, & optatius.

Ego quoque non mediocrem voluptatem cepi, ubi cognovi eodem pene momento utrumque noſtrum ſcripſiſſe de cavendo ab illo PP. taedio; aperte enim intellexi divino interdum afflatu amicorum animos agi, & cognatione quadam inter ſe mutuo obligari. Quae ſi vera ſunt (ut res ipſa docet) dum hac ſarcina mortalitatis induimur, & locorum intervallo tam longe diſtinemur, qualis erit voluntatum conſenſus, cum omni materia ſpoliati veritatem apertis oculis contemplabimur? Haec mihi ſaepius cogitanti tam alta rerum ſubit oblivio, & interdum indignatio, ut cupiam adhuc vita erroribus plena quam citiſſime diſſolvi, & exuere larvam iſtam, quae a vultu veri boni, & ultimi finis nos arcet.

Caeterum, quia gravibus premor occupationibus, brevis ero in ſcribendo, non tamen memoriae

riae parcam, quin in vos, & te praecipue longa cogitatione feratur, multumque non invideat erudito ocio vestro, doctisque lucubrationibus, quibus a vulgi consortio, & Aulae fastidiis longe remoti nomini vestro, & posterorum utilitati consulitis. Vale, & precibus tuis perge apud Deum adesse valetudini Summi Pontificis, qui robustior in dies, vividiorque Ecclesiae necessitatibus paterna solicitudine occurrere undequaque meditatur. Iterum vale.

Romae XVII. Cal. Jun. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime vir.

DUplici me gaudio refecerunt novissimae litterae, ex quibus intelligo, Sanctissimi Patris, ac Domini nostri valetudinem in optimo semper statu consistere; artesque, uti & virtutes, sub tanto Pontifice reflorescere in dies. Quae duae res incredibili me laetitia, & voluptate affecerunt. Utinam ex te etiam brevi resciam, res nostras cum ista Curia penitus compositas, & quidem foedere sempiterno. De animo Regis non est, quod vel tantillum suspiceris, quin optime affectus sit cum in Apostolicam Sedem Sanctissimumque-

que Pontificem, tum in mutuam utriusque Curiae concordiam, qua nihil Suae Majestati magis cordi esse non dubito. Timeo, ne vulnere diutius occallescente, animi etiam tantisper invicem obdurescant, & funesti dissidii sensum sensim amittant. Rumor apud nos circumfertur, Episcoporum designatorum Epistolam ad Sanctissimum Pontificem scriptam Congregationi Cardinalium examinandam datam fuisse. Quod infaustum augurium esset dilatae concordiae. Sed id ne contingat, Superi curabunt, ut quidem speramus.

Cardinalis Forbini discessus ex hac urbe quatriduo serius accidit, quam tibi scripseram, nempe die 20. currentis mensis. Faxit Deus, ut egressus, & regressus ejus sint pacifici.

Accipies hodie cum Diario litteratorum exemplum testamenti Serenissimae Delphinae, quod tibi non ingratum fore existimo. Secundam, & tertiam *Peccati philosophici* denuntiationem brevi, ut spero, accipies. Solemnem nostri Monasterii possessionem nudius tertius iniit Eminentissimus, & Celsissimus Furstenbergius Cardinalis, quo non melior alter Abbas; atque heri in Basilica nostra Sacris operatus est solemni pompa. Ipse ego legi Apostolicum Diploma in nostro Capitulo non sine difficultate peregrini elementi. Utinam me audires aliquando tuae dignitatis proclamatorem, quem certe semper habiturus es tuae virtutis, eruditionis, & amicitiae praeconem. Vale.

Parisiis, XI. Cal. Jun. 1690.

P. S. Gratias quam maximas tibi agunt nostri Michael Germanus, & Ruinartus ob honorificam

tuam

tuam de eis recordationem; tibique vicissim obsequia, & officia offerunt.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illustrissime Vir

HAc primum vice nullas abs te accepi litteras, nec admodum prolixas ex me hodie habebis. Nunc inter privatos prodire incipit alia Denunciatio, ut vocant, contra Thesim nuper Mussiponte propugnatam, videlicet *non obligare praeceptum diligendi Dei ad ullum actum amoris in tota vita eliciendum*. Hujusce Denunciationis exemplum mihi promissum est in hebdomadam sequentem. Interim ad te mitto Diarium litteratorum, dum meliora mihi suppetant. Hodie incipiunt Comitia Cleri Gallicani ad conferendum quinquennale Regi subsidium, quod opportunum erit in praesentes belli necessitates. Utinam hic tandem annus Catholicorum dissidiis finem imponat! Quod quidem omnes Boni exoptant. Varii hic circumferuntur rumores de fortuna epistolae, quam Episcopi nostrates designati SS. Domino Nostro scripserunt. Quidam res prope jam compositas esse gratulantur. Id certo resciemus, cum Bullas illi a Curia ista obtinuerint. Interim pro mutua concordia preces fundimus, & pro incolumitate Sanctif-

ctissimi Domini, qua nihil Reipublicae Christianae utilius optari, & contingere potest. Timeo, ne quid adversi tibi, Vir Illustrissime, acciderit; neque inanis timor, cum solitas delicias mihi non submiseris. Forte duplices proxima hebdomada dabitur degustare. Tantum valeas, & sat mihi fuerit. Sane valere te jubent mecum nostri Germanus, & Ruinartus.

Parisiis IV. Cal. Jun. 1690.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

MIrum sane mihi accidit, te litteras meas pro prima vice non accepisse, nunquam enim cessavi ab officiis, nisi elapsa proxima hebdomada, qui Tabellarius in Sabaudia detentus tuas mihi reddere non potuit. Qua de re incertus, cui traderem epistolas tibi mittendas, animo tantum, ac propensissimae voluntatis studio te, tuosque salutavi. Vereor sane, ni tranquilla pax Italiae nostrae quantocius reddatur, consuetudinem nostram brevi carituram mutuo litterarum solatio. Quod quantum cordi meo aegritudinis creet, metiri facile potes ab amore, quo te, tuasque virtutes prosequor.

Ac-

Accepi Diarium Literatorum, expectoque exemplum Denunciationis in lucem editae contra Thesim Mussipontanam.

Illustrissimus Trevisanus tandem Romam rediit, plurimumve cum illo egi. Dici satis non potest, quibus laudibus efferat Aulae vestrae humanitatem, genium, mores; captusque praeterea clementissimi Regis Majestate loqui nescit sine maxima, & effusissima tanti Herois commendatione. Ego, qui vestra semper magni feci, & usque ab ineunte aetate lustrandi Gallias desiderio flagravi, hisce sermonibus mirifice delector, saepiusque percontor reducem Abbatem de eisdem fere rebus, quas jam audivi. Porro moerore intabescerem, si mihi blandiri desinerem spe videndi tam culta Regna, hominesque ad omnem comitatem formatos.

Proxima Sabbathi die Eminentissimus Forbinus magno rhedarum comitatu Romam ingredietur. Interim vale, & me ama.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Vir

POst triduum, quam a nobis discessit postremus nuntius, accepi jucundissimas istas litteras, quas vel omissas, vel intermissas nuperis meis litteris tantum non conquestus sum. Haec scribe-

bam ante dies octo, cum repente jussus sum adire templum S. Dionysii ad funus Serenissimae Delphinae, quae in communi hoc Regum nostrorum conditorio tumulata est. Id in causa fuit, cur nullas ex me litteras ultima vice acceperis. His vero unis meis debeo respondere ad duas postremas epistolas tuas, quae me summopere recrearunt. Legi etiam cum voluptate versus a te scriptos ad Amicum, quibus currentem ad castra juvenem revocasti ad amplexus patrui, caeterorumque parentum. Sed timeo, ne, amicum ex injectis vinculis eripiendo, te ipse Patrum Societati adstrinxeris vel invitus. Quippe effatum est apud bonos illos morum dictatores, quisquis aliquem ab inito Religionis proposito abstraxerit, eum ejusdem professionis reum esse ad expiandam alterius desertionem. Vide itaque, quo pacto te ex istis pedicis eximes. Id non aliter obtinere, me judice, poteris, quam Bullae Pontificiae auctoritate, quae te majoris utilitatis causa in obsequio Eminentissimi Domini securum remanere jubebit. Perge itaque cum ipsa indulgentia eodem pede, quo coepisti, & siquid supplementi necessarium erit ad diluendum facinus abs te commissum, age pro virili, ut *Peccati Philosophici* doctrina quantocius in Urbe proscribatur, eaque censura per totum orbem Christianum disseminetur. En habes Diarium Litteratorum duplex, unum posterioris, alterum hujus hebdomadae. His adjunxi effigiem Eminentissimi Cardinalis Furstembergensis Abbatis nostri, in quo nil nisi paternum experimur. Dabit fortasse hebdomada sequens aliquod majoris momenti ad te perferendum. Saltem S. Bernardi primum exemplum Suae Sanctitati offerendum cu-
ra-

rabo Lugdunum deferri, ut quantocius Romam perveniat. Vale, & me tibi addictiſſimum amare perge.

Pariſiis III. Id. Jun. 1690.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Etſi de propenſa Chriſtianiſſimi Regis voluntate erga Sedem Apoſtolicam ambigere nefas ſit, attamen ſummo me gaudio affecerunt literae tuae, quibus intelligo nihil obſtare, quominùs utriuſque Curiae diſſidia duraturo foedere componantur. Reſignatorum Epiſcoporum Epiſtolam Summo Pontifici ſcriptam Congregationi Cardinalium examinandam traditam fuiſſe adhuc me latet: illud tamen certo ſcio hoc ſperatae concordiae minimum officere, dummodo quae ſunt Caeſaris Caeſari, quae ſunt Dei Deo reddantur.

Exemplum Teſtamenti Sereniſſimae Delphinae gratum acceptumque fuit una cum Diariis Literatorum.

Carmina vernacula adverſus *Peccatum Philoſophicum*, quae tibi ſuperioribus literis meis denunciaveram, ſub oculis meis tantum decreverunt, ut viſa ſint minus digna, quae ad te transferantur.

Caeterum Summus Pontifex tam prospera utitur valetudine, ut heri vespere per Urbem curru devectus sit, duasque Ecclesias inviserit.

Vale, Vir eruditissime, & Ruinarto, Germanoque plurimam ex me salutem nuncia.

Romae II. Jun. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Vir

NOndum Cursor ex Italia huc advenit, interclusis viis ob novas cum Principe Sabaudiae simultates. Sic omnia terra marique commercii in dies commoda praeciduntur, adeo ut nec fere litteris ullus relictus sit locus. Has tamen fortunae discrimini exponere cum Diario Litteratorum malim, quam officio meo sub quolibet praetextu deesse. Decreveram hoc fasciculo includere eruditam responsionem ad duas Patrum epistolas de *Peccato Philosophico:* sed visum est satius in aliud tempus id differre. Unum est, quod magnopere me angit, nempe quod, absoluta S. Bernardi Operum editione, quam SS. & Optimo Pontifici dicatam esse non ignoras, ejus exemplar non possim quantocius in Urbem transmittere, Suae Sanctitati a Procuratore nostro offerendum. Hoc exemplar proxima heb-

hebdomada Curfori confignare ftatueram: fed nifi brevi componatur haec tempeftas, tentanda erit via maritima, tametfi longior, & morofior futura. Favit Deus, ut quocunque modo in Urbem perveniat hoc exemplar, fofpitem, & incolumem Suam Sanctitatem inveniat. Abfoluta Bernardi editione fecedam in aliquam fortaffe folitudinem, ut quietius tantifper degam ab hifce turbis remotus. Id fi fiet, dabo operam, ut per aliquem e Sodalibus meis folitum litterarum inter nos commercium continuetur. De his certiora ad te fcribam, cum primum hinc difcedam. Ceterum quocunque me vertam, ubique me fequetur, & comitabitur memoria & recordatio tui, tuarumque virtutum, quas, Deo dante, illuftriores facient nova in dies experimenta. Certe nec occafiones, nec facultas tibi deerunt, utique nec voluntas. Huetius Epifcopus Abrincenfis defignatus, de quo tibi nuper fcripfi, exempla Ciceronianarum quaeftionum Tufculanarum edidit *Quaeftiones Alnetanas*, quas fingit habitas in Alnetano Ciftercienfium monafterio, cujus loci is eft Abbas. Quaeftionum argumentum eft de concordia fidei cum ratione. Si non me fallit conjectura, Auctor non pauca repetit ex fua *Demonftratione Evangelica*. Et fane difficile eft eumdem lapidem tot modis verfare, qui non in eofdem tandem recidat. Sic quocunque me vertam, femper, & ubique conftanter leges me tibi effe addictiffimum, & obfequentiffimum.

Parifiis XIV. Cal. Jul. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illustrissime Domine.

BInas tuas hac una vice accepi, ex quarum lectione superioris hebdomadae damnum abunde refartum est. Mitto ad te in praesens, quae recuperare mihi licuit de argumento *Peccati philosophici*. Prima ejus Delatio, quam ad te ante unum, aut alterum mensem transmisi, auctorem habet Quesnelium, qui Leonis M. opera nuper recensuit, ac modo cum Arnaldo in Belgio versatur incognitus. Aliud scriptum hic inclusum, quod inscribitur, *les veritables sentimens des Jesuites touchant le Peché Philosophique*, tribuitur cuidam Doctori Parisiensi, & quidem, ut alii existimant, Dominicano. Alia duo scripta expecto in vesperam, nempe secundam, & tertiam Delationem, quae utraque Arnaldo adscribitur. De alia Delatione, quae thesim Mussipontanam spectat, videro, quid alia parturiet occasio. Venio ad alios libros, de quibus in postrema epistola tua mentionem facis, eos scilicet, qui de Traditione, seu Doctrina Gratiae divinae anno superiori scripti sunt. Primus, ut jam alias monui, in fronte analysim habet *Epistolae ad Romanos*, tum Traditionem Ecclesiae de *Gratia*. Secundus refert historiam, & praecipua acta Congre-

gregationis illius; quae sub Clemente VIII., & Paulo V. de *Gratia* habita est. Tertius continet refutationem libelli Patris Dechamps Jesuitae de eodem argumento. Omnes hi libri, quos modo commemoravi, Quesnelio tribuuntur. Hos frustra quaesieris in Bibliotheca Reginae, siquidem ab uno duntaxat, aut altero anno priores duo conditi sunt, tertius ante paucos admodum menses. Quidquid de his libris, qui in 12°., ut vocant, impressi sunt, mihi praeceperis, incunctanter exequar. Nihil enim mihi optatius est, quam tuis studiis morem gerere.

Quid ex Cardinalis Forbini Romana profectione expectandum sit, anxii haeremus. Aegre audio misceri in dies omnia, nec tam cito turbis nostris finem imponendum. In hac animorum, & bellorum confusione vix ullus Sacris studiis relictus est locus, mihique longe satius est ingemiscere, quam litteris operam dare. Quanquam praecipua in his malis consolatio reposita est in libris. Pene exciderat, nunc primum prodire in lucem primum tomum historiae Ecclesiae Parisiensis, auctore Gerardo *Du Bois* Oratorii Presbytero, cujus epistola nuncupatoria Illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo directa 48. paginis constat. Hac editione nihil elegantius. Caetera in hebdomadam sequentem. Vale.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

TRibus redditis hac hebdomada epiſtolis tuis dilatae voluptatis moram uberiori gaudio compenſavit Tabellarius, cui, gliſcentibus in diem Italici belli malis, occluſoque viarum tranſitu, haud tutum eſt alicujus momenti res concredere.

Ut vero ad epiſtolas redeam, quae mihi imaginem liberalis animi tui apprime depictam ob oculos ponunt, accepi cum Diariis Literatorum libellum inſcriptum *les veritables ſentimens des Jeſuites touchant le peché philoſophique*, alteramque *Peccati Philoſophici* Denunciationem. Quae omnia acceptiſſima mihi fuere, pulchrumque videtur ab eruditis Viris adiri, poſtularique, ut illis Rei litterariae nova communicem.

Abſolutum Bernardi Opus avide quamprimum expecto, ut Sanctiſſimo Patri reddatur, cui quidem in amoribus futurum minime dubito fretus eximia illa eruditione, ac doctrina, cujus praeclara documenta non ſemel edidiſti. Quam autem incolumem vegetamque Sanctitatem Suam labores tui reperiant, pro certo habeas precor, & jubeo, nulloque timore tenearis de ipſius ſalute; adeo enim validis firmiſque viribus utitur, ut ſaeculum hoc, Deo dante, aetate impleturum facile polliceatur.

Ju-

Jucundiſſimus mihi accidit nuntium profligati Valdecenſis Exercitus ab invictis ſemper Chriſtianiſſimi Regis copiis, auditaque nuper maritimae etiam Batavorum Claſſis fuga, ac everſione, in ſpem adducor, ut Angliae Rex quamprimum pro amiſsae coronae decore non inultus induatur. Divinae bonitati gratias ago; quod recordata divitiarum miſericordiae ſuae impotentis Tyranni minas fregerit, & ad cauſam judicandam fortiter inſurrexerit.

Caeterum, quem ab Urbe receſſum meditaris, ut liberius literis indulgeas, non modicam fateor invidiam mihi creat, atque utinam tecum jungere caſtra daretur. Porro ſodalem haberes in omnibus tibi obſequentiſſimum, & qui imitatione tui melior in dies evaderet.

Interim, dum te verbis Eminentiſſimi Domini plurimum valere jubeo, ut me amare pergas, etiam atque etiam rogo.

Romae III. Cal. Jul. 1690.

L U-

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

HAc primum vice fraudatus sum solitis deliciis meis, litteris tuis, quas nobis Pedemontani tumultus inviderunt, intercepto videlicet, aut retardato cursore. Vereor, ne quid simile huic fasciculo contingat, in quo inclusam reperies alteram, quam vocant Denunciationem *Peccati Philosophici*. Tertiam differo in sequentem hebdomadem.

Ante unum, aut alterum diem Bernardi exemplar, quod Sanctitati Suae dicavi, aurigae Lugdunensi commissum est, Romam quantocius fieri poterit transferendum; quod utinam bonis avibus fiat. Hoc exemplar P. Procuratori nostro in Curia Romana commoranti dirigere conatus sum: alias tibi, Vir clarissime, lubens directurus. Alia exemplaria tardius in Urbem advehentur.

Etsi moris mei non sit, nova bellica ad te perscribere, tamen temperare non possum, quin te certiorem faciam de strage exercitus Comitis Valdecensis, quem Dux Luxemburgensis, Regiarum in Belgio copiarum Dux, penitus profligavit, vasis bellicis etiam captis. Classis Gallica Angliae imminet, dum Princeps Arausicus in Hiberniam con-

ten-

tendit. Utinam his motibus tandem finis imponatur! Cardinalis Camutus in gratiam rediit cum Rege Christianissimo, quod omnibus bonis gratissimum erit. Ejus Neptis conjugio tandem Rex assensum dedit, quem antea negaverat. Nec de his plura; ad litteras quod attinet, ex Diario intelliges, quid novi hic sit procusum. Ex vestratibus ad me pervenit egregium opus Henrici Norisii viri eruditissimi *de Epochis Syromacedonum*, multa eruditione refertum. Sed haec satis hac vice. Vale, & nos dilige, ut soles.

Parisiis V. Non. Jul. 1690.

UDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illustrissime Vir.

NEque hac etiam vice quidquam litterarum ex te mihi provenit; tametsi cursor hebdomadis praeteritae fasciculos Roma huc attulit. Male sit hisce tumultibus bellicis, qui me tam jucundo, atque optabili commercio fraudant. Saltem vel serius ad me tuae epistolae perveniant. Dolerem sane quamplurimum meis ad te litteris tam malam fortunam accidere, non propter scriptiones meas, quibus non aegre admodum carere velles, sed propter libellos de *Peccato Philosophico*, cujus

cujus tertiam Denunciationem ad te mitto in praeſens, cum ſecundam ſuperiori hebdomada ad te ſubmiſerim. Addidi item huic faſciculo cenſuram Univerſitatis Muſſipontanae, invitis, ut videbis, muſis fabricatam contra male ſanam de praecepto amoris Dei propoſitionem, quae etiam ſingulari libello confutata eſt, ad te (liquidem recuperari a me poſſit) brevi tranſmittendo. Neque tibi ingratum fore credidi ſcriptum quoddam cauſas exponens belli Duci Sabaudiae illati, quo nihil funeſtius mutuae noſtrae neceſſitudini. Iſtud vero brevi conficiendum puto, quando Suá Sanctitas (uti audio) farciendae concordiae ſequeſtrum ſe praeſtare non dedignatur. Quid cum ad hoc negotium, tum ad alia noſtra componenda collatura ſit Cardinalis Forbini induſtria, anxii expectamus.

Apud nos magno plauſu acceptus eſt liber eruditiſſimi P. Noriſii de Epochis Syromacedonum, quo nihil hoc in genere limatius, & elaboratius: Materia haec novi belli, ſed litterarii inter Noriſium, & Harduinum Societatis Jeſu, qui in toto iſto opere vapulat. Sed nova erit Noriſio triumphi materies.

Intra biduum finis erit Comitiis Cleri Gallicani, de quo plura ex aliis reſcies. Supereſt, ut te rogem de curanda valetudine tua, quae mihi in primis cordi eſt. Ego vero jam convaleſcere coepi ex levi morbo, qui me per hos quindecim dies tantiſper afflixit. Jam animum reſumo ex falſo rumore, qui apud nos de adverſa Sanctiſſimi Domini valetudine percrebuerat. Nihil optatius ex te reſcire poſſum, quam Suam Sanctitatem una cum Eminentiſſimo Domino meo recte valere.

Pariſiis VI. Id. Jul. 1690.

ADM.

ADM. R. PATRI JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

INterruptus Tabellariorum curſus, conſuetuſque ordo propter belli incendium in Italia exortum, in cauſa eſt, cur tuas literas raro accipiam meaeque ad te rarius forſan perveniant. Etſi enim nulla gravis materia in epiſtolis meis contineatur, meraſque nugas ſcribere conſueverim; attamen niſi certa datur occaſio credendi nunciis epiſtolas, nolo illas committere incerto rerum eventui, patiorque libentius carere ſuaviſſima voluptate amorem meum tibi novis in diem documentis teſtandi.

Ex poſtremis epiſtolis tuis, quibuſcum geminum Diariorum penſum, effigieſque Eminentiſſimi Fruſtembergii ad me delata eſt, monitus ſum, in quas pedicas imprudens, inſciuſque inciderim ejus voti reus, quod in aliis ſolvere feliciter conatus ſum. Porro non mediocrem triſtitiam religioſo animo meo intuliſti, nec ſatis video, quo piaculo ſanum caput a Societatis jugo vindicem. Utinam Summus Pontifex priſtina me libertate donet ea quidem ratione, quam pro tua ſingulari humanitate mihi augurari dignatus es.

Caeterum rumor per Urbem circumfertur a Congregatione rebus Sancti Officii praepoſita *Peccatum Philoſophicum* nuperrime damnatum eſſe.

Avi-

Avide in diem expectamus, ut tam bonus nuncius, Reique Christianae salutaris palam exeat, & impudentium ora prorsus occludat.

Vale, eruditissime Vir, & mandatis tuis periculum fac benevolentiae meae.

Romae XV. Cal. Aug. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Vir.

IN hoc secessu, quem dudum cogitabam, & quo jam frui incipio, decreveram in alium transferre provinciam ad te scribendi, quod procul ab Urbe Lutetia positus, nihil fere de re litteraria, quod unicum nostri commercii argumentum esse solet, rescire possem. Verum ubique circumferens imaginem tui, temperare non possum, quin aliquid de hac, quam modo incolo, solitudine tibi significem. Locus est in suburbio Meldarum 25. ferme milliaribus a Parisiis distans, S. Faronis dictus, amoenus certe, & a salutantium turbis totus secretus. Hic nostri ad triginta degunt, ea sane religione, quae formandis Novitiis congruit. Huc ab uno, aut altero die me recepi; quamdiu inibi moraturus, incertum. Nam vereor, ne in Urbem negotiola citius me revo-

revocent. Scire cupis, cui rei dem operam? Ego certe nulli alii, nisi ut feriatus ab omnibus studiis vacem, & resarciendae tantisper valetudini cessatione laboris me dedam. Forte per haec otia mentem a Parisiensis frequentiae strepitu tantisper relevabo, utinam sanctioribus studiis navaturus. Sic sum, dum tu gravioribus curis distineris. Faxit Deus, ut ambo per haec diversa itinera ad ipsum contendamus.

Accipies cum hac epistola, & cum Diario Eruditorum Epistolam Regis Christianissimi de victoria navali in Anglos, & Batavos simul conjuratos reportatam. Nos supplices ad Deum manus tendimus, ut parta pace vincere tandem cessemus. Vale, Vir Illustrissime, & epistolae jejunae indulge. Iterum vale.

Parisiis XI Cal. Aug. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

CUm videam nullas ex Urbe huc litteras pervenire, eamdem etiam nostris ad te litteris fortunam accidere non dubito. Quapropter epistolarum nostrarum commercium abrumpere potius quam interrumpere cogor, dum serenatis rebus, & re-

& reclusis viarum discriminibus, idem commercium rursus instaurare jubeas. Quae sane magna mihi voluptas futura est, tantisper interim suspendenda. Neque vero id in longum tempus videtur differendum. Siquidem mortuo (ut fama est) Principe Arausicano, discordiarum flabello, & antesignano, brevi concordiam inter Principes Christianos fartum iri non dubia spes est. Plura mihi in praesens non occurrunt, quae tibi secure scribere possim, cum hanc epistolam in omnem aleam cum Diario Litteratorum exponam. Et quidem per has ferias vindemiales solet intermitti ejusmodi Diarium usque ad Festum S. Martini. Faxit Deus, ut ante illud tempus concordia in integrum publica, mutuumque nostrum commercium restituatur. Vale. *E solitudine S Faronis triduo ante ferias Augustas*, quas tibi prosperas fortunatasque ex animo apprecor. Iterum vale.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

Reversus ex Campania Remensi, quo patrem meum grandaevum, & fere centenarium visurus perrexeram, nihil mihi potius in curis fuit, quam instaurare solitum litterarum commercium, quod jamdudum inter nos, tua quidem dignatione,

ne, ſed maximo meo honore, ſancitum eſt. Nam, fateor, taedet me diuturni illius juſtitii, ac ſilentii, quod Bellona partim, partim mea ex hac Urbe abſentia invexerunt. Redeamus ergo, ſi lubet, ad ſolita noſtra commercia, niſi forte te piget nugis meis diutius interpellari. Faciam tamen etiam hac vice periculum tuae in me ſeu benevolentiae, ſeu indulgentiae, probaturus quis noſtrum prior alteri libellum repudii daturus ſit. Eſt aliquando etiam amoribus ipſis ſua ſatietas, ſuumque faſtidium, cui leve nonnunquam divortium mederi conſuevit. Jam audio te mihi improperantem, quaſi divortii noſtri auctor ego fuerim. Sed cave ita interpreteris; immo totum hoc in Bellonam refunde. Tu vero pacem, quantum in te eſt, (nam & in hac non parum vales) procurare ſatage, ut nulla dies noſtris litteris finem imponat. Sed hactenus nugae; ad ſeria venio. Decretum proſcriptae *Philoſophici Peccati* doctrinae ad nos tandem maximo bonorum plauſu perlatum eſt, frementibus licet iis, quorum intererat. Pax ſit Eminentiſſimis Dominis, qui etiam amorem Dei in orbem retulerunt Chriſtianum. Prodit quarta in ipſum *Peccatum Philoſophicum* Denunciatio, quam non ſum miſſurus, niſi tu ipſe juſſeris. Interim mitto geminum litteratorum Diarium, caetera per ſequentes tabellarios directurus. Expectamus ſuſpenſis animis Sanctiſſimi Domini reſponſum ad litteras, quas propria manu Rex Sanctitati Suae ſuper noſtris controverſiis perſcripſit. Jam certi, ac ſecuri ſumus de futura pace, quando hoc modo Rex Magnus cum Maximo Pontifice congreditur. Nihil non boni ex mutuo illo congreſſu ſperandum. An libri a me pro Eminentiſſimo Do-

mino nostro transmissi pervenerint, hactenus anxius, & sollicitus sum. Certe, qui in eamdem sarcinam conjecti erant alii libri pro nostro Procuratore Generali, Romam pervenisse accepi. Rogo te, fac me de receptis libris quamprimum certiorem. Hucusque Bernardus haeret in via, quem vellem Suae Sanctitati quantocius oblatum. Eminentissimo Domino nostro, si non indignum judicas, mea obsequia significare ne graveris. Vale

Parisiis III. Cal. Novemb. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

INopinato hodie rus profecturus ad octo dies, brevissimam nihilominus ad te, occupando tempus, scribo epistolam, ne a primo statim redintegrati commercii limine primam fidem videar violasse. En geminum Diarium. Plura ad te scribam, cum rediero. Nec plura hodie. Habe me semper quaeso in numero eorum, qui maxime te colunt. Vale.

Parisiis III. Non. Nov. 1690.

LU-

LUDOVICO SERGARDIO
JOANNES MABILLONIUS
S. P. D.

Illustrissime Domine.

QUando redibit tempus illud, quo solito litterarum tuarum commercio frui dabitur! Ecce jam pro anno uno mensem istum computo, qui mihi earum usuram subripuit. Sed vereor, ne, etiamsi mutuo nos officio scriptionis recreare per singulas conemur hebdomadas, vereor, inquam, ne tardior votis meis cursor accedat. Jam enim per duas vices nihil litterarum ex Urbe huc adventum est. At saltem illud solabitur, quod cursor unus multorum tarditatem compensabit, cum plures simul epistolas afferet: nam nulla, ut opinor, epistola ex tuis hactenus amissa est, etsi dilata quarundam receptio. Post breve epistolium, quod superiori hebdomada scripsi rus abiturus, reversus nihil fere scriptu dignum inveni praeter mortem Segnelaei Regii administri, qui ante dies octo vita defunctus est in florenti fortuna, & aetate, quippe qui annos dumtaxat octo & triginta attigerat. Is filius erat, ut scis, magni illius Colberti, cui tantum litterae debent, haeresque fuerat locupletissimae Bibliothecae, quam pater magno studio comparaverat, instigante in primis, & procurante Balutio, qui ejus curam habebat ad lite-

 rato-

ratorum omnium usum. Nunc eo res devenit, ut distrahatur praeclara illa Bibliotheca, ni Regii Ministri regiam Bibliothecam Colbertina hac amplificari satagant. De antiquis libris loquor, qui magno numero in hoc penu asservantur, ad sex millia videlicet, & forte amplius. Nam, quin librorum editorum direptio fiat, vix dubito. Sic ferunt res mortalium, quae magno labore, ac studio partae uno fere momento dispereunt. Non tam facile vitia, & errores, qui, ubi semel animos imbuerint, vix evelli, ac ne vix quidem possunt, Sic fere habet doctrina perniciosa de *Peccato Philosophico*, cujus damnationem auctores aequo animo pati non possunt, adeo ut male apud Patres audierit noster in Urbe Procurator Generalis, quod liberius in hanc doctrinam invectus fuisse crederetur. Nec ego quidem impune ferrem, si quod ad te scribo, ab illis PP. resciri contingeret. Verum de animi tui fide securus, quod inde sentio, libere proferre non dubito. Tantum valeat Sanctissimus Dominus noster, ut caetera ejusmodi monstra jugulare pergat. Et tu vale in multos annos.

Parisiis II. Nov. 1690.

LU-

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS.

S. P. D.

Illustrissime Domine.

DUm litteras tuas avidus expectò, meum interim officium prosequor; tametsi pauca mihi occurrant, quae scribere liceat. De libris novis non est, quod mentionem faciam, cum id suppleant Diaria litteratorum, ex quibus duo postrema ad te mitto in praesens, & proxima ex ordine missurus, ni nova rerum facies iterum nostra commercia interturbet, quod maxime vereor. Nam sinistri ad nos rumores his diebus pervenere actum esse de negocio concordiae, quae inter vestratem Curiam, & nostram tractabatur. Id vero aegre admodum ferimus omnes, quibus pars Catholica cordi est. Sic longe facilius vulnera inferuntur, quam curantur. Inter haec nescio, quid sinistrum etiam de valetudine Sanctissimi Domini nostri circumfertur, quod nos magnopere anxios, & sollicitos reddit. Sed forsan haec fuerint inimicorum commenta, quod quidem ex animo optamus. Si liberior esset inter nos discursus, multa ad te transmitterem, quae incertae cursorum fortunae committere vereor. Certe per tres hebdomades nihil litterarum ex Urbe huc advectum est: adeo ut fere desperem commercium nostrum secure conti-

tinuari posse. Quod tamen non abrumpam, nisi tu ipse jusseris.

Cardinalis Bullionius Lugduni tantisper haesit ob quoddam incommodum, quo eum solutum esse puto evulsione dentis infesti. Hac hebdomade huc adventurus creditur magna sane animi sui, suorumque voluptate, quam ex diuturna relegatione metiri licet.

Pons-carterinus, ut scies, in locum demortui Segnelaei successit, Vir animo, & aetate vegetus, natus annos XLV., ad res magnas agendas idoneus. Faxit Deus, ut omnium de eo expectationi effectus respondeant. Haec tantum hac vice. Vale.

Parisiis XII. Cal. Decemb. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

ETiam hac vice necdum cursor ex Urbe litteras attulit. Eamdem remoram non dubito contingere litteris ad te meis. Pergam nihilominus experiri fortunam, ut si non cito, saltem vel sero litteras meas accipias, tuasque vicissim recipiam. Cardinalis Bullionius huc tandem appulit, votorum suorum, uti credo, maxime compos, laetior utique aura Curiae Regiae, quam soli Clunia-

niacensis. Jam tibi, si bene memini, significavi absolutam tandem S. Augustini editionem, immo & Ambrosii, pauculis foliis exceptis. Dabitur uterque in strenam anni sequentis. Utinam secundis ventis propere possent convolare in manus SS. Domini nostri. Imperet ventis bellorum contrariis, & faciat tranquillitatem: & hoc brevi fiet. Sed quid de Augustino, & Ambrosio sperandum, quando Bernardus nominis ejus favore delatus tandiu haeret in via? Sane taedet me tantae morae, per quam fit, ut Sanctissimi Domini Nostri benedictione defrauder. Interim brevi inchoabitur per nostros editio Athanasii, dum paratur typis Hieronymus, atque Hilarius sudat sub praelo. Etiam has rosas, hos flores producunt spinae bellorum nostrorum. Quid putas fieret in pace? Quanquam multorum labores opprimit haec tempestas, quae, ni cito deferbuerit, magnam cladem litteris, immo & Religioni allatura est. Falsus sim vates, aut potius bella haec extinguantur quam cito, ut litterarum tuarum saltem voluptate recreari identidem merear. Certe maturandae paci, dicam, extinguendo bello hyems commodissima est. Tu interim pacis otio, & tranquillitate fruere, & vale.

Parisiis V. Cal. Decemb. 1690.

Illustrissime Domine.

Audio vina Gallica Londini in plateas ex rabie infusa; sed viceversa tibialia serica formae Anglicanae Parisiis manu publici tortoris fuisse publice conjecta in flammas.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine

JAm mihi multi anni effluxisse videntur, ex quo epistolarum tuarum solatio destituor. Sperabam hac hebdomade impatientiae meae modum impositum iri. Sed tamen nihil dum tabellarius ex te attulit. In sequentes hebdomadas remitto spem, & expectationem meam. Interim Nuntius Apostolicus appulit in hanc Urbem, quod boni ominis loco esse credimus. Faxit Deus, ut res nostras vel sero tandem componat, ut Sanctissimus Dominus noster pacem universae Europae procurare possit, & finem imponere diutino illi, quo provinciae nostrae dudum flagrant, bellorum incendio. Nihil dignius Pontificatu Alexandri VIII. Cardinalis Bullionius optime acceptus fuit a Rege, a quo in secretam audientiam per horam admissus est. Ante unum, aut alterum diem legi novam, idest quintam pestilentissimae doctrinae delationem in unum e Societate, qui Brugis pro concione asseruit licere parentibus in liberos suos, si subversionis periculum per Turcas immineat, saevire mortem corporalem inferendo, atque adeo mulieribus prostituti pudoris, si quando in morbo resipiscere videantur, mortem procurare, ne

in

in vomitum redeant, si convalescant. Non dubito, quin omnium indignationem ac censuram provocet pessima doctrina in auctorem. Sed apage haec nostri saeculi monstra errorum. Utinam ad te meliora, & gratiora scribere liceret. Sed quae ferunt tempora, nobis ferenda sunt. Vellem ex te rescire, si id citra tuum incommodum possit, cur libellus quidam e Gallico idiomate in Italicum versus, qui *Christianus interior* inscribitur, relatus sit in classem prohibitorum a Sancti Officii Patribus. Vale.

Parisiis Prid. Non. Decemb. 1690.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine.

HAereo semper avidus litterarum tuarum, quarum necdum ulla mihi a justitio isto reddita est. Felix interim, si vel litterae ad te meae perveniant. Tempus est, ut initi inter nos invicem commercii anniversaria encaenia celebrem. Nam memini hoc fere tempore incoeptum fuisse, quod utinam in longum tempus protrahatur. Sed & imminentium Festorum recursus invitat, ut tibi prospera omnia in novum annum, & fausta Natalia apprecer. Vix me tempero, quin ad Emi-

nentissimum Dominum scribam ad renovanda demissi, & grati in eum animi mei testimonia. Sed vereor tantae dignitatis interpellare Virum maximis negotiis occupatum. Quanto minus id audeam erga Sanctissimum Dominum nostrum, pro cujus sospitate, & salute quotidiana vota Deo offerre non cessamus. Quis mihi det, ut vota nostra impleat ille, qui solus potest? Te vero, Illustrissime Vir, etiam atque etiam rogo, ut me sodalesque meos etiam hoc anno solita benevolentia tua prosequi pergas. Tantum hac vice: nisi quod Cardinalis Bullionius male se habere dicitur. Alii alias afferunt causas, morales potius, quam naturales. Ego vero, qui ab aulicis speculationibus longe absum, conjectoris officio fungi nolo. Antequam te dimittam, rogo, ne gravate feras, si Illustrissimo Fabretto, patrono quondam, & (si dicere licet) amico nostro obsequia mea, nostrique Michaelis Germani renoves, eique suggeras amplam illam, quam penes se habet, veterum inscriptionum collectionem magnopere ab ipso flagitari. Vale in multos annos.

Parisiis III. Id. Decemb. 1690.

LU-

LUDOVICO SERGARDIO
JOANNES MABILLONIUS
S. P. D.

Illustrissime Domine.

EX silentio tuo facile conjicio, res nostras istic non bene procedere, nec ad te pervenire litteras meas, certus de tua humanitate, te responsum non tamdiu dilaturum. Tentabo fortunam adhuc semel. Si vero postea res ita pergat, a scriptione, & missione litterarum omnino abstinebo, ne epistolae meae fiant ludibria ventis. Neque hac vice multis te alloquar, cum desit argumentum prolixioris discursus, & viarum certitudo. Ante hos tres dies cum Superiore nostro Generali Pontisarae invisi Cardinalem Bullionium, in nostro, immo & suo, S. Martini Monasterio, cujus est Abbas, degentem: quem integra valetudine praeditum invenimus, praeter maciem oris. Ille nos solita sua comitate amplexus est quam dignantissime. Nuntius Apostolicus incognitus hactenus versatur apud Patres Fulienses, clam a Rege acceptus, & auditus. Ex ejus prudentia speramus brevi res nostras compositum iri, quod etiam, atque etiam optant omnes rei Catholicae studiosi. Vale, &, si has litteras accipies, fac, ut de tua salute certus fiam. Iterum vale.

Parisiis XVI. Cal. Jan. 1691.

ADM.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D.

Diu eſt, quod litteras nec ſcripſi, nec accepi. Tu ſolitudinis amore detentus, ego Aulae faſtidiis irretitus, ambo in amicitiae dulciſque conſuetudinis uſuram peccavimus. Quae mea fuerit orbitas hoc abrupto litterarum commercio, te ipſum percontari juberem, ſi minus modeſtiae haberes. Attamen hoc unum ſcias, ut tui deſiderium aliquo modo delinirem, hoc tempore non ſemel abdita Campaniae Remenſis cogitatione perluſtraſſe, teque illic terrena deſpicientem inſonti quadam invidia fuiſſe proſecutum. Tandem redditae mihi ſunt unica vice epiſtolae tres, quae ſive aliam jacturam, ſive ſilentium tuum uberiori gaudio compenſarunt. Gratulor primo te reducem & incolumem e Remenſi regione, tuaque fretus ſingulari humanitate confido impoſterum te frequentiores litteras ſcripturum. Hoc utique feciſſem & ego, ſed partim timore, partim aſſiduis curis, partim quoque incommoda valetudine detentus inſtituti mei rationes deſerere coactus fui. Utinam aliquando haec flamma, quae in veſtibulo Italiae ardere incoepit, opportuno praeſentique remedio extingueretur.

Ego

Ego quidem, ut verum fatear, nullis licet partibus addictus, securis oculis hoc incendium aspicere non patior, vereorque summopere, ne vicina calamitas nos quoque contingat. Sanctissimus Pontifex, quae sunt optimi Pastoris, munia sedulo implet, & nihil habet prius, quam diffidentes Principum animos stabili foedere componere; sed tam cruda, & acerba sunt Christianae Reipublicae vulnera, ut medentis manu contrectari reformident.

Sed ad nostra veniamus. Quarta *Peccati Philosophici* denunciatio in deliciis mihi erit, neque enim ferre possum hanc PP. contumaciam, vixque aliquando temperare mihi possum, quin in ipsorum mores libera ferar indignatione.

Quae mihi refers de epistola ab invicto Galliarum Rege Summo Pontifici scripta, summopere exopto, ut ex voto succedant, sed, ut audio, parum spei in hoc negotio, quod magnum est in Ecclesia Dei, hactenus affulget.

Sanctissimus Dominus Noster viridi plane senectute utitur; color illi optimus, oculus vividus, memoria pollet maxima, rebusque agendis nunquam finem imponit. Denique, si annos non numeres, juvenem profecto dicas. Hodie per horam ipsum allocutus sum, nec praetermisi narrare, quod de insigni Regii Ministri Segnelaei Bibliotheca mihi significasti, ut, si fieri poterat, desiderium injicerem tam pretiosi thesauri comparandi. Sed cum habeat Bibliothecam omni librorum genere instructissimam, peregrinas opes quaerere hac praesertim temporum difficultate minime opportunum duxit. Quem mihi narras, librorum fasciculus nondum in Urbem advenit; Clozerium interro-

terrogari super hac re jussi, nec non Patrem Procuratorem Generalem; cumque aliquid certi invenire potero, tibi protinus nunciabo.

Interim ego veniam peto officiorum, si quae omisi, proque tua (quae mea est) incolumitate, in limine renascentis anni fervidissima vota nuncupo. Vale.

Romae X. Cal. Jan. 1691.

LUDOVICO SERGARDIO

JOANNES MABILLONIUS

S. P. D.

Illustrissime Domine,

DIstantia locorum nihil vetat, quominus in ipsis Natalibus Festis haec eadem tibi Festa prospera, & fortunata augurer. Liber quippe est animus, atque uno momento maria transvolat, omnesque obices facile superat, armorum, ac latronum pericula nil moratus. Puta igitur, me hodie Romae ad tuum conclave adesse, ut salvere te jubeam, atque his opibus, quas nobis attulit Christus nascens, locupletem esse. Sic votis dives sum, qui modo nihil ad te mittendum habeo. Est prae manibus quoddam Menagii carmen, qui memoriae suae gratias agit, quod se fere octogenarium nondum deseruerit. Mihi vero pene religio fuerit hoc carmen ad te mittere,

re, utpote quod penitus ſit profanum. Mallem quippe Chriſtum audire, quam divam Mnemoſynen. Sed difficile eſt poetam ſimul eſſe, & Chriſtianum. Si ſic eſt, malim a Poetarum choro longe abeſſe, quam Chriſti expertem in eorum caſtris militare. Ergo ſcrupulus animo inſederat, ne tibi profanum carmen mitterem. Sed tu ex ipſis ſordibus paganorum aurum facile elicies. Caeterum, ſi quid in his judico, verſus Parnaſſo haud indigni ſunt, nec ita frigidi, ut ab homine fere octogenario conditi videantur. Sed tu longe melius de his judicium feres. In fine moneo, nihil dum litterarum me hac etiam vice abs te accepiſſe. Si nullum abs te reſponſum hebdomada proxima accipiam, a ſcribendo in poſterum abſtinebo. Vale, & me ama.

Pariſiis VIII. Cal. Jan. 1691.

INDEX
CAPITUM
HUJUSCE VOLUMINIS.

Auctoris Epistolae.

Dis-

DISSERTATIONES.

Chri-

Let-

LECTORI BENEVOLO.

CUm, *absoluto prorsus volumine*, *ex autographis* Sergardii *chartis aliquot aliæ ad* Mabillonium *epistolæ*, *unaque ad* Natalem Alexandrum, *forte fortuna ad nos pervenerint*, *eas hic adnectere non prætermittendum putavimus*.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

HUmanitatis ac sinceræ devotionis officia, quæ Sanctissimo Domino Nostro litteris persolvisti, ejus generis apud me sunt, ut tibi Sanctitatis Suæ nomine respondere libenter impellant. Equidem non sine patenti amoris amplexu excepit Sanctitas Sua constantem tuam caritatem, & filialem erga S. Sedem observantiam, quam in te vigere plurimum gaudet, ac ex animo gratulatur; magni quippe facit virtutem tuam, eximiamque doctrinam, quam tot in diem monumentis ævo tradis, assiduisque studiis posteritatis quoque tibi comparas testimonium. Cum vero Sanctitas Sua pro viribus curatura sit, ut labore, studio, ac solicitudine commissi sibi Catholicæ Ecclesiæ regiminis partes impleat, adesse quoque sibi desiderat apud Deum precibus tuis, ut qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate. Hæc Sanctitatis Suæ jussu litteris tuis rescribens meam etiam ad tua commoda paratam voluntatem ultra polliceor, cunctaque tibi fausta a Domino precor.

Romæ VIII. Idus Decembris 1689.

(1) *Pertinet hæc epistola ad pag.* 287.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

PErgratæ fuerunt Eminentiſſimo Domino multiſque nominibus acceptæ litteræ P. V. quibus propenſam erga illum voluntatem tam effuſe conteſtaris, promptamque operam pro inſtruenda recentibus libris Bibliotheca ex animo polliceris.

Ego quidem, quod attinet ad clariorem mentis Eminentiſſimi Domini ſignificationem, quæſitis tuis in primis reſpondeo, qualibet hebdomade me expectaturum cathalogum eorum, quæ in dies imprimuntur, ut interim ſeligi poſſit quidquid e re fore judicabitur.

Libri cujuſcumque diſciplinæ grati erunt acceptique, præcipue Eccleſiaſticæ eruditionis, & modernæ, ut ajunt, Philoſophiæ; Medicos quoque, ſiqui erunt magni nominis & peculiari nota digni tum novitate, tum doctrina, ne pigeat comparare.

Hos vero, aut ſingulis menſibus, aut longiori etiam intervallo, cum in faſciculum creverint, fas erit Romam mittere.

Tabellario, ſi quid erit exiguæ admodum molis, quodque maxime curioſitatem paſcat, impe-
rare

(1) *Sequitur hæc proxime ſuperiorem.*

rare poteris: inſcripto deſuper Eminentiſſimi Patroni nomine: quo etiam munies quidquid eris Romam miſſurus,

Quod attinet ad Auctores jam cuſos, quique actu cuduntur, & præcipue ad politiorem litteraturam ſpectantes, uti ſunt illi ad uſum Sereniſſimi Delphini, multos jam accepit noſtra Bibliotheca: quare opus eſt ut illius Indicem ſedulo expendam, & quidquid defuerit Paternitati tuæ commendem, ut copiam faciat.

Quem mihi Lugdunenſem indicas Bibliopolam, ultro accipio tanquam fidelem hominem & expertum, illique libros commendare poteris & litteras, uti ego in præſenti faciam.

Quo vero ad Anglicos Batavoſque Scriptores, ſi nunc propter bellorum incommoda non licet comparare, poterit P. T. aliquantum ſubſidere, & impenſis parcere, donec detumeat procella iſta: nec enim tanti ſunt, ut ex Hollandia mutatis ad celeritatem equis Pariſios mox Romam importentur. Forſan prius foret Amſtelodami correſpondalem habere, qui libros Tridentum uſque mitteret, ubi Bibliopolam habeo Joannem Franciſcum de Rubeis, cui jam ab initio Pontificatus onus incumbit recentes ex Germania libros emendi. Idem poſſet & Hollandicos Amſtelodamo miſſos excipere, unaque cum Germanicis Romam tranſmittere. Tuum igitur erit (ſi hoc arridet & in commodum cedit) Amſtelodami Bibliopolam amicum ſuper hac re interpellare.

Interim non deero per literas cambii alicui Mercatori Pariſiis credere pecuniam, qui tibi per me innoteſcet, poteriſque illa uti, quoties occaſio poſtulabit.

His me tibi aliqualiter ſatisfeciſſe puto. Cæterum literas P. T. Sanctiſſimo Patri heri veſpere perlegi, qui multum humanitatem tuam collaudat ob hanc ſuſceptam provinciam, confiditque Bibliothecam ſuam tanto Viro creditam brevi quaſcumque habet Roma, ſi non mole, ſaltem novitate ſuperaturam.

Eminentiſſimus quoque Dominus ſe tibi plurimum debere fatetur; & ubi illius opera in tui commodum cedere poterit, certo ſcias tibi non defuturam.

Ego vero libentiſſime ſum complexus occaſionem hanc te provocandi ad arctiſſimum amicitiæ vinculum; utque intelligas te a me adeo ſingulariter amari, quam qui maxime, juſſa tua, Fratriſque Michaelis Germani, in diem expectabo uti res magni pretii mihique cariſſimas; efficiamque profecto, ne accenſæ meæ erga utrumque voluntatis documentum ullo tempore deſiderare poſſitis.

Poſtremo Orationem hanc pro electione Summi Pontificis coram Purpuratis Patribus in ingreſſu Conclavis a me dictam tibi mittere audeo, ſperoque ab humanitate tua, ut veniam daturus ſis extemporaneæ propemodum elucubrationi, & guſtui barbaris Curiæ vocabulis corrupto. Nec velim me redarguas vanitatis, ut qui famam apud Virum eruditum aucupare ſtudeam; ſed hoc factum a me ſcias candido quodam animi impulſu, qui in eum Pontificem collimaſſe ingenue ſuperbit, cujus ideam præſcio ſtylo delineaverat. Interim Literariæ Reipublicæ bono diu valeas precor, meque tibi enixe commendo.

ADM.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

Accepi una cum litteris tuis jucundissimis retractatoriam *peccati philosophici*, quam statim reddidi Eminentissimo Domino, ut latentis mali igniculos Summo Pontifici indicaret. Statim ac ad manus meas redierit subdolus Libellus, Romanæ Curiæ judicio illum supponam.

Francisco Riccio Lugduni commoranti jam dedi in mandatis, ut litteras tuas, librorumque fasciculos, omni fide & diligentia excipiat; nec deerit muneri suo satisfacere.

Sarcinæ Crozerii Bibliopolæ nostrum quoque fasciculum addidisse optime & prudenter a te factum agnovi.

Temporis angustiæ, quæ me undique premunt, promptusque Tabellarius ad iter capiendum prohibent me ulterius scribere, & dulcissimam adimunt voluptatem tecum per literas alloquendi. Vale Vir eruditissime, & cum Michaele Germano me ama.

(1) *Pertinet ad pag.* 295.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

PErsuasissimum est Eminentissimo Domino P. T. omni studio incumbere procurationi Librorum, qui in dies cuduntur, tuæque benevolentiæ & singularis humanitatis accepit argumenta quamplurima.

Quamobrem, si temporum difficultates sarcinam Lugdunum missam remorantur, quominus Massiliam, mox Romam importetur, hoc quidem nihil detrahit opinioni, quam Eminentia Sua constantissimam habet, amoris tui, ac vigilantiæ. Spero tamen, fretus Domini Nostri operosa senectute, brevi Europæ tumultus in tranquillam pacem cessuros, qua litteraria nostra commercia mirum in modum augebuntur.

Cæterum Sanctissimus Pater natus in commune bonum, optimi Principis, & amantissimi Pastoris officiis plenissime respondet, quamquam non desint blaterones, hominesque oris impudentissimi, qui, tanquam nebulæ solis radiis, offundi conentur. Sed nullam habere potest candidiorem virtus laudem impiorum maledictis. Sunt & qui pessima valetudine affectum, & comitiali morbo laborantem

(1) *Pertinet ad pag.* 300.

tem ſpargant in vulgus, cum tamen quotidie ſui copiam faciat, & viliſſimos quoſcumque de plebe paterna caritate ad oſcula pedum excipiat. Hæc ego audire non ſine eorum miſeratione poſſum, qui novis ſemper rebus ſtudent, & cum Principe fortunam quoque mutandam eſſe ſibi adulantur, ignari perditos mores fauſtis eventibus raro conjungi.

Abbati Treviſano, qui redditurus Cardinali Bellovacenſi novæ dignitatis inſignia ab hac Aula nuper diſceſſit, litteras dedi meæ erga te benevolentiæ teſtimoniis locupletiſſimas, rogavique illum etiam atque etiam, ut P. T. inviſeret, omniaque humanitatis officia tecum meo nomine impleret.

Interim dum Eminentiſſimi Domini juſſu te plurimum jubeo valere propenſiſſima voluntate me profiteor.

ADM. R. P. JOANNI MABILLONIO

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

ILluſtriſſimo Fabretto legendas tradidi litteras tuas ea parte, qua illius benevolentiam & eruditionem luculento elogio proſequebaris; plurimumque lætatus tanti Viri amica ſignificatione ampliſſimas meis verbis tibi tuoque Germano gratias refert, rogat-

(1) *Pertinet ad pag.* 337.

rogatque, ut eum reponas in tuis, ducasque in numero necessariorum. Hac hebdomade priorem, quam desideravi, epistolam una cum præsenti accepi; nec unquam hactenus commercii nostri dulcissima consuetudo interrupta est.

Versus Commirii de Promotione Cardinalis Forbini genio meo plenissime arriserunt, laudoque suavitatem, elegantiam, &, quod Poetarum præcipuum est, inventionem. Explicare non possum quam impatienter expectem secundum Arnaldi libellum adversus *peccatum philosophi um*: etenim hæc materies hic quoque a cordatis Viris sedulo pensatur; nec longe abest, ut credo, in hoc monstrum animadversio. Prodierant vernacula lingua carmina, quæ tibi superioribus litteris meis indicavi, & exemplar promisi: nunc Apologia quædam per manus traditur, Patribus vulgo attributa, sed quæ revera novam hanc doctrinam acerbius vulnerat, atque confodit. Cum mei juris erunt tam Carmina quam Apologia, ad te mittere non morabor; ac vicissim te rogo, ut quidquid ad hanc pestem spectaverit, mihi, quantocius poteris, communices.

Sint necne in Bibliotheca Eminentissimi Domini, quos mihi indicas, priores duos Tomos Arnaldi contra Patrem Dechamps, adhuc videre non licuit. Etenim Summus Pontifex insignem Suecorum Reginæ Bibliothecam nuperrime comparavit, veterique adjecit; adeoque infinita propemodum librorum millia nullo ordine digesta manent; ac difficile est in hac præsenti confusione quidquam certi eruere.

Utinam verus sit rumor de compositis inter utramque Curiam dissidiis. Vereor ne aliter res se habeat. Car-

Cardinalem Forbinum propediem expectamus; nec dici potest, quam splendido apparatu, quanto studio, ac desiderio ejus adventum moretur Eminentissimus Dominus. Vale, me ama, tuisque commenda.

Romæ VIII. Idus Junii 1690.

ADM. R. P. NATALI ALEXANDRO

ORDINIS PRÆDICATORUM

LUDOVICUS SERGARDIUS

S. P. D. (1)

Redditæ fuerunt Sanctissimo Domino Nostro litteræ tuæ plenæ officiis, omni humanitate refertæ, illiusque animum tenero pietatis sensu distrinxere. Non mediocrem quippe existimationem olim apud Sanctitatem Suam adeptus fueras ingenio, ac eruditione, tamquam Vir de litteraria republica optime meritus. Utinam ultima primis respondissent. Porro quanta benevolentia te foveret Sanctitas Sua, quibus paterni amoris testimoniis amantissimum filium prosequeretur! Nunc vero quod S. Sedis integritatem non satis fideli calamo læsisti, & in jura Summi Pontificatus pluribus

(1) *De hac epistola* Sergardius *ad* Mabillonium *pag*. 309. & Mabillonius *ad* Sergardium *pag*. 320.

bus documentis peccasti, dolet ex animo, ac refugit te amplecti, ut cæteroqui virtus tua, dotesque eximiæ mererentur. Quæso ne te decipiat specie recti absconditus error; nec tanti apud te sit auræ popularis fallax rumor, & subdolus, ut pergas ambulare in tenebris, & tradere sæculis exempla non sanæ doctrinæ. Quam facilis tibi latusque porrigitur campus delendi male impressa vestigia, & in viam redeundi, a qua longius aberrasti! Hoc tibi nil carius stabit candida declaratione, qua fatearis deceptæ mentis lapsum, animumque in posterum Romanæ Cathedræ addictum verbis & operibus exhibeas. Enimvero non sit pudor viro sub disciplina enutrito, & familiæ religiosissimæ, præterita corrigere gloriosa censura, &, quidquid superest vitæ ac laborum, incremento Fidei, & Pontificiæ dignitatis impendere. Nosti præstantissimos viros pietate, non minus quam eruditione conspicuos, ac Divum præsertim Augustinum, quem uti parentem merito colis, quæ minus caute scripserant, summa cum laude retractasse. Nec enim quisquam nisi imprudens, ideo quia tua errata reprehendis, te reprehendere audebit.

Hæc omnia ad litteras tuas rescribi jussit Summus Pontifex, qui pro ea, qua te in Domino diligit caritate, de tua est plurimum salute sollicitus; & sæpius ingemiscit in hujusmodi se tempora devenisse, quibus Ecclesia Romana eas a Filiis suis voces audire frequenter cogitur, quibus olim non nisi a Catholicæ Fidei hostibus impeti consueverat. Audi ergo, si bona Christi ovis esse desideras, non vocem alienorum, qui ad sua desideria coacervant sibi Magistros, sed veri Pastoris,

quem

quem constituit Dominus super Familiam suam; & præteriti lapsus emendatione divinum supra te judicium anteverte.

Ego tamen meliora de te confidens, Deum interim precari non desinam, ut tibi saniora in diem consilia, eumque scribendi modum inspiret, qui virum Religiosum christianæ humilitatis cultorem, & obedientiæ Filium decet.

Romæ VIII. Idus Decembris 168.

LUDOVICO SERGARDIO

AVUNCULO AMANTISSIMO

MARIA ANTONIA BIZZARINI TONDI

S. P. D.

NUdius quartus a Fratre tuo, & Avunculo meo amantissimo, reddita mihi fuit capsula quædam variis distincta coloribus, in qua pulcherrimas chirothecas, aliaque ad mundum muliebrem spectantia reperi. Adeo gratum votisque meis arridens hoc munus cessit, ut majus optare nequiverim: sive enim donum, sive dantis animum perpendam, utraque ex parte pretiosum invenio: tanta quippe artis concinnitate elaboratum hoc munus mirata fui, ut luculenter agnoverim ingenii romani opus esse, & industriam. Vide igitur quantum (parcas verbo, verum tamen dicam) quantum errasti, cum tenue esse hoc donum asserui-

ſti. Nunquam parva ſunt munera, quæ præter meritum dantur, & generoſo animo conferuntur; & magni ſemper habentur, quæ ab iis præſtantur, quorum dignitas & fama ornamentum non leve vel rebus leviſſimis addit. Deſine igitur queri de communi Europæ infortunio: non enim res ipſa, ſed animus dantis, precium dat rebus. Utinam ſerenior dies illuceat, non ut tuæ erga me humanitatis periculum faciam, ſed ut merita tua clarius ſplendeant. Potius doleam te forte oleum & unguenta perdidiſſe; cum virium mearum tenuitas his beneficiis ſit impar. Gratias tamen, quas habeo, tibi ago, agamque dum vivam; tuæque generoſitati tribuas velim, ſi pares referre non poſſum: niſi forte humaniſſimæ benevolentiæ tuæ memoria, quam ſemper tenebo, gratiam referre videatur. Fac ut valeas, mutuoque me diligas, dulciſſime Avuncule.

Senis XIII. Kal. Februarii 1709.

ERRATA			CORRIGE.
pag. 9.	lin. 23.	feralis Juftii	feralis juftitii
16.	10.	Intuimini	Intuemini
17.	21.	charius	carius
17.	29.	Charitas	Caritas
27.	penul.	cone	con
32.	5.	gefto	gefte
34.	20.	impoffibile cofa fia	impoffibile cofa fia
35.	ult.	fi configlia	fi confegna
136.	20.	fete	fiete
137.	23.	bifogno avevi,	bifogno avevate
153.	22.	inftitium	juftitium
159.	10.	charamque	caramque
178.	5.	adhortatus fum	adortus fum
180.	29.	calibs	chalybs
193.	23.	inamaeno	inamoeno
197.	21.	undequaque	undique
203.	27.	fepulchrorum	fepulcrorum
204.	25.	liberis	liberius
206.	21.	miftica	myftica
209.	20.	paleftras	palaeftras
214.	18.	abacedario	abecedario
215.	6.	Petrarcae	Petrarchae
217.	1.	earumque	carumque
218.	14.	mulcire	mulcere
222.	7.	auditur	audit
ibid.	27.	faenebri	foenebri
225.	20.	ingentefque jocos	infontefque jocos
226.	ult.	parare	pacare h.e. *domare*.
234.	24.	cenfa	cenfus
238.	24.	Polieno	Polyeno
252.	2.	horcheftra	orcheftra
261.	6.	perfringere	perftringere
270.	3.	fpeciofo ftylo	fpeciofo titulo pag. 272.

pag. 272. lin.	6. ut gemina	& gemine
278.	9 exſtaſis	exſtaſes
280.	4. derueras	debueras
ibid.	5. injubiam	injuriam
ibid.	16. Placentae	placentae
281.	23. Cauſa	cauſa
299.	7. authoritas	auctoritas
339.	12. Reſignatorum	Deſignatorum
341.	19. exempla	exemplo

